



Bodleian Libraries

UNIVERSITY OF OXFORD

This book is part of the collection held by the Bodleian Libraries and scanned by Google, Inc. for the Google Books Library Project.

For more information see:

<http://www.bodleian.ox.ac.uk/dbooks>



This work is licensed under a Creative Commons Attribution-NonCommercial-ShareAlike 2.0 UK: England & Wales (CC BY-NC-SA 2.0) licence.



#

£ 1-1-0

Arch. Bodl. B. I. 167.

2995 f. 23

Dr. J. M. Doolittle





LIBELLUS GEBENSIS.

£ 1-1-0

Arch. Bodl. B. I. 167.

2995 f. 23

Bl. from Dobell, Jan 1916, fa #1-1 -



LIBELLUS GEBENSIS.



LIBELLUS GEBENSIS.

POEMATA SELECTA

LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ ÆTATIS.



GEBENIS,
TYPIS GUILL. FICK,
MDCCCXXII.

(37 Exemplaria.)

*N^o 22
1837.*

BODL. LIBR.
19. JAN. 1916
OXFORD

POEMATA SELECTA LATINA

MEDIÆ ET INFIMÆ ÆTATIS.



I.

In obitum fortissimi herois PHILIPPI SIDNEI.

Authore DOM. BAUDIO.

VIDERAT hostili grassantem cæde Philippum
Marspiter, et clari fortia facta ducis.
Tum livore malo stimulisque agitatus amaris:
Bella mihi Pallas, bella minatur, ait.
Agnosco horribicos turbatæ virginis artus,
Agnosco armisonæ vimque manumque Deæ.
Non alius tali se turbine mittit in hostem,
Præcipitesque virûm demetit ense globos.
Quà ruit, una salus fugisse, fugacibus instat
Segnior, adversos sternere fervet amor.
Quid moror? an-ne novo violet dum vulnere Martem
Simque triumphalis gloria victus ego?

Non ita, surge anime, et vindictam perface dulcem
 Quà datur, ac meritas exigat ira vices.
 Dixit, et in juvenem, quo sol nil clarius usquam
 Adspicit (heu pietas! heu veneranda fides!)
 Dirigit ille manum trepidam latitantis Iberi,
 Quo nunc ille iacet vulnere flos hominum.
 Impie Mars tantum potuisti extinguere lumen,
 Nec tibi tunc animi, nec cedere manus?
 Hei mihi quo lustro poterit scelus hocce piari?
 Quis reparet deinceps talia damna dies?
 Quantam spem patriæ mors aspera circumvenit!
 Quale tibi periit Belgica præsidium!
 Parva tamen magni superant solatia luctus,
 Parva quidem, forti sed tamen apta viro.
 Victor enim veræ Sidnei virtute triumphus,
 Vincere quem timuit Mars nisi fraude mala,

 II.

*Ad PHILIPPUM SIDNEIUM, splendissimum Equitem
 ex illustri Warwicensium familia.*

Eodem Authore.

O D A.

Non quod vetusta nobilis ab domo
 Fulges, et amplis mactus adoreis

BAUDIUS.

Princeps Juventutis Britannæ

Te veneror, generose Sidnei!

Haud ima laus est illa quidem, bonis

Prægnasci, et inter splendida nomina

Parere, celsius profani

Moribus ingeniisque vulgi.

Verum ista laudis quantula pars tuæ est,

Præut ter alti pectoris abditas

Dotes, et illibata dicam

Eloquii Sophiæque dona?

Mentem cupido surcitat arduus

Laudum supremis tollere te modis

In astra victorem procacis

Invidiæ, volucrisque fati.

Sed spes avaras, vota que turgida

Sors Dædalei territat Icari,

Vetatque ne majora coner

Viribus, ingenii que captis.

Quod si mea olim candidior dies

Optata lætos ducet ad exitus,

Si me benigna fors honestis

Inseret ordinibus tuorum:

Favore tali turgidus atque ovans,

Pulcro paratu differar in tuas

Laudes, et ingentem Lycestrum

Non humili referam cothurno.

Vos concinam , o par nobile principum ,
 Afflicta quos iam Belgica vindices
 Suspirat , optatamque tali
 Sperat ab auspicio salutem.
 Sperat , spei nec decipitur sua ,
 Si quid piorum sollicitæ preces
 Possunt , et utcunque antecedens
 Culpa trahit Nemesin sequacem.
 Nil Anglicæ non efficient manus ,
 Quas et faventis magna Dei manus
 Defensat , et virilis ardor
 Omnibus expediet periclis.

III.

Ad ROBERTUM SIDNEIUM Equitem generosum et illustrem lessus in mortem PHILIPPI SIDNEIJ fratris ejus, viri omni laude majoris.

Eodem Authore.

O SIDNEIANÆ columen unicum domus,
 Lumenque , postquam lumen illud desiit
 Lucere terris , patrio quod nunc polo
 Refulget inter astra sidus aureum ,
 Philippus ille , frater heu quondam tuus !
 Flos Anglicanæ gentis , imò totius

Flos orbis, audiente dicam Fascino.
Quid o super nunc relliquum est misero mihi
Præter perenne flere, solamen gravis,
Inane luctus? huc perennes lacrimæ,
Huc eiulatus, nœniæque lugubres,
Et evaporem qui meis inæstuat
Dolor medūllis, o mihi sanctum caput
Philippe magni nomen instar numinis,
Quod corde curas obseris moriens meo!
Tecum meæ spes atque opes sitæ iacent,
Tecum iocus, lepos et omnis occidit.
Tum si quid olim e parte læva pectoris
Musis amicum exsculpsit improbus labor,
Vel efficaci amore laudis incitus
Profudit ardor, omnium harum nunc mihi
Distractioque vastitasque rerum adest.
Vix iam pedestrem languidus Musam traho,
Vix tertiatis hiscere audeo sonis,
Vix ulla signa in me ipse conspicio mei.
Parum, præut reapse sentio, loquor,
Tecum ipsa cessit vita ab isto pectore:
Nam viva mors, et vita mortua est mihi
Te Sidnei adempto, mortuus me interficis:
Nec restat alio hic fine spiritus, nisi ut
Fato superstes usque suppetam meo,
Lentisque me perire sentiam modis.

Hei si tyrannos, helluones funerum,
 Portenta terræ, generis humani lucem,
 Sacerrumasque hirudinum propagines,
 Tam longa vitæ pausa felicis beat:
 Cur o severa, o sæva Parca sic manu
 Sagace carpis, et diurnare invides
 Ut quidque vita est dignius diu frui?
 Sed fallor, atque more vulgi rem puto,
 Rerum æstimator improbus cælestium,
 Rerumque curvus mirio terrestium,
 Verboque ut uno cuncta comprehendam, homo.
 Non tu querelis, mollibusque lacrymis
 Vrgendus heros, mortui fleant suos
 Virtute cassos, ipsa te cælo beans
 Vetat mori mors, et nova vita induit
 Mortalitatis exsolutum nexibus.
 Humana quod si nos iuvant solatia,
 Vixti beatus, omnium rerum satur
 Quas aut benignæ sortis indulgentia
 Largitur, aut industrius parit labos.
 Id deerat unum faustitati temporum,
 Mundique votis, interesse uti diu
 Posses caduco cœtui mortalium.
 Sed nec suo carere deposito amplius
 Jam sustinebat cœlitum fulgens domus:
 Nec terra tanti muneris capax erat.

Ergo oppetisti morte præclara cadens.
Felix ter o quaterque, nos miseri quibus
Tui carendo morte quavis tristior
Ducenda vita est: ast ego in primis miser
Quem præsidî orbum, consiliî omnis impotem
In hoc iuventæ flore cùm spes arduas
Mens inchoabar, morte destituis tua.
Actum est, nisi in te speculæ restat locus,
Roberte Sidnei, quæ salutem spondeat.
Quod obsecro te perque stemmatis decus
Sublime vestri, perque fratris inclytum
Nomen quod omnes implet uno se plagas;
Si ego illum honore prosecutus sum meo,
Si me ille amore censuit dignum suo:
Ne quæso, ne me compotem tantis malis
Tuo insuper favore frustrari sinas.
Sic te usque amica numinis benignitas
Conservet orbi sospitem et superstitem,
Tandemque fratri fata te tuo, tibi
Fratrem redonent, et novum cælo decus.

I V.

*Ad generosum THOMAM BARONEM DE BURGH, etc.
Briellæ urbis et arcis Gubernatorem.*

Eodem Authore.

O D A.

Te vir magne, canent vel genio lyræ,
Sublimive tuba Dousicus impetus,
Et culti ingenium nobile Lipsij,
Rogertisque decens Venus.

Felices animæ Musa quibus dedit
Cedro digna loqui, factaque principum
Morti subtrahere, et perpetuum decus
Seclis prodere posteris.

Nam quanquam precio sat probitas suo
Commendata caput nubibus inserit,
Nec præconis eget voce, nec ambitu
Captat præmia sordido.

Non invita tamen laus decorare amat
Insignis meritis atque animo viros:
Et quantum residui distat inertiae
Virtus vate carens sacro,
Virtus indecori pressa silentio?
Quis dirum OEdipoden regnaque tristibus
Decertata odijs nosset, et exitu
Fraternas acies gravi:

Si non Pierijs artibus inclytos
 Vates Musa daret, Musa potens brevem
 Vitam perpetuare, et Stygij Jovis
 Eluisse avidas manus?

Famosum duplicis nomen Vlyssei,
 Graijsque impositam Pergamon ignibus
 Insuetum per iter Mæonius labos
 Curru surrigit alite.

Musas Mæonidæ provocat æmula
 Ingens laude Maro, dum Veneris genus,
 Junonemque Phrygas perdere fervidam
 Cantu personat entheo.

Quid, fecisse benè, est, si taciturnitas
 Atra nube teget quod benefeceris?
 Non hoc Lipsius, et Dousica mens sinat,
 Rogertisque decens Venus.

Quod si tanta virûm lumina, si tuæ
 Laudes, o juvenum nobilium decus,
 Admittunt tenuis murmura barbiti,
 Chartis non ego te meis

Immunem patiar, tu quoque (sic decet).
 Regmortere tuis fungere partibus,
 Patronumque cliens officij memor
 Condignis celebra modis.

Illum fulmineo dum rotat impetu
 Bellantum cuneos, attonitus stupet

Māvors , dum resonam plectro animat chelyn ,
 Vinci se Patareus amat.

V.

*D. Wilhelmo Herberto COMITI PENBROCIÆ , Supremo
 Aulæ Regiæ Præfecto.*

Authore GASP. BARLÆO.

S C A Z O N.

Heros Britannæ sidus inclytum terræ ,
 Illustre regno nomen , et decus sceptri ,
 Qui penè spretis solus annuis Musis
 Batavoque precium grande feneras vatis ,
 Fautorque laudes asseris poëtarum :
 Seu jam tiaras purpurasque suffulcis
 Nestor verendus : seu remissus à curis
 Regum labores lubricamque perpendis
 Sortem potentum : seu receptus in Cirrham
 Vatum serenis cantibus diem fallis :
 Hunc , qui per atros Nerei venit fluctus ,
 Viasque longè permeat procellosas ,
 Continge dextrâ. Laudibus tui Regis
 Vacat , tuumque nomen exhibet Belgis.
 Si plura poscis , consecrabo me totum

Tuas ad aras; quoque majus haud possum
 Donare, dono, mancipoque Barlæum,
 Tanto poëtis omnibus minus clarum,
 Quanto es Britannis omnibus magis charus.

 VI.

In obitum Clarissimi Viri JOH. ISACII PONTANI.

Eodem Authore.

Pontane, quò me, quò tui colens³ dudum
 Pectus relinquis! ætherisque transcendens
 Vias beatus tot malis inerrantem
 Mortalitatís sede desuper spectas?
 Me sume socium, vallibusque subductum
 Calumniantis seculi et suo more
 Ineptientis, inter integras mentes,
 Innoxiasque nesciasque livoris
 Tecum repone, quà virile Cunæi,
 Et os loquentis prisca verba Iacchæi,
 Virtusque nullum vellicantis Erpeni,
 Spernit malignæ virus improbum linguæ.
 Illic per astra, per faces tibi scriptas;
 Per regna Superûm fornicesque flammantes,
 Tonitruumque fulminumque per tractus,
 Geminumque mundi culmen ibimus læti.

Propiusque cœli signa , circulos , puncta ,
 Lunæque vultus et vagantium motus ,
 Ortusque varios luminumque tot casus ,
 Arcana mundi , permeabimus coram.
 Hic nos moratur pigra corporis moles ,
 Animumque glebæ affigit et solo mentem ;
 Crepundiisque ludicrisque curarum
 Vanisque miseri nœniis fatigamur.
 Tu , quem docentem porticus Sicambrorum
 Flevique lambens stagna Geldrus audivit ,
 Jam multa discis , quæ negata sunt nobis ,
 Et multa nescis , quæ profana nos scimus.
 Scrutator usque veritatis æternæ ,
 Saturque votis et Dei Redemptoris
 Amore plenus , conscientiæ laudem
 Infers Olympo , laureamque doctrina
 Felicitatis luce claras exornas.
 Qui sceptrâ Regum purpurasque Cimbrorum,
 Septentrionis numina , indicavisti ,
 Eburque Gothicum lineasque regnantum ,
 Rheni bicornis oppida et Duces priscos ,
 Et gesta Patriæ gnarus expedivisti ;
 Qui præpotentis Amstelæ domos dices ,
 Originesque , templa , fata mercantum ,
 Suffulta sylvis tecta , mobiles arces
 Auri latebras , merciumque scripsisti ,

Nunc alia regna, et tot regentium Regem;
Et civitatis jura perspicis magnæ,
Opesque lustras, nescias vetustatis.
At nos dolemus, quotquot hic sacri Musis
Monumenta seculo consecrata miramur.
Quæ nec malignus Livor afflat aut Momi
Furor flagellat. Te caremus, Isace,
Nec jam benignæ commeant amicorum
Voces, nec ales charta transvolat fluctus,
Testis salutis, et favoris illæsi.
Hæc summa vitæ est: hoc suæve solamen
Afflictionum, leniore conspectu
Sodalitatis perfrui verecundæ.
Amplecti amicos, literisque testari
Flammas honesti, candidique convictus.
O literarum splendor, ô senex docte,
Tot noctibus, tot hic laboribus fracte,
Tot fesse scriptis, tot scholis fatigate,
Criticique dudum magna pars tribunalis,
Tot præmiis, tot imperantium donis
Illustris, audi, et mœsta verba Barlæi
Sibi dolentis et tibi parentantis,
Tibi gratulantis, at sibi gemiscentis,
Lachrymas amantis, præficæ puta lessum.

VII.

*Ad JOH. BAPTISTAM STROZZAM : Ejus laudat enim
æternitatis inhiantem bonis, et humana fastidientem.*

Authore Card. BARBERINO.

Curis solutum ruris in otio
 Dudum beatam degere credidi
 Te STROZZA vitam, dum canentem
 Tuscia te coleret, tuumquæ
 Inseret astris nomen; et aureo
 Dum te cientem pectine dædalas
 Testudinis chordas, silenti
 Obstupuit pater Arnus vnda.
 At nunc videris iure beatior,
 Qui pura solùm gaudia Cælitum
 Reris, quid in terris rotamus
 Sisyphio lapidem labore?
 Nil vsque gratum, nec satias faui
 Dulcem liquorem deficit: abditam
 In rebus humanis vel ipsa
 Miscet amaritiem voluptas.
 Inuecta curru candida si præit
 Aurora, solis subsequitur iubar
 Nox atra. Nascentem tuere,
 Quæ vario micat ore, lunam:

Pars una lumen fundit, et altera
Umbrata mœret; nec vaga terminos
Umbræ coarctat lux, coruscum
Exerat, aut retrahat nitorem.

Frustrâ quietem quærimus anxij,
Dum terra cæli nos tenet exules.

Quid cœna regali paratu
Prodiga, Sidoniusquè murex,
Quid structa prodest marmore regîa,
Seu quidquid auri congerit India?

Quod nuper asciuit cupitum,
Mox animus fugiet perosus.
Quem sæpè victis hostibus inclyto
Romam triumpho viderat invehî,
Ostroquè præfulgentem et auro,
Dalmaticis Dioclen in hortis

Fastidientem mœnia Romuli
Vidit iuuentus Martia Tybridis,
Mirata priuatum superbos
Imperij posuisse fasces.

VIII.

*Ad GABRIELEM CHIABRERAM, Carmina Virtuti parere
immortalitatem.*

Eodem Authore.

Non cuspis ensis, sceptraque regia,
 Non fulgor auri, non gena floribus
 Decora primæuis, nec aër
 Tusculus, aut Anienis ora,
 Lectouè præstans rore Calabriæ
 Dum vernat arbos, non aqua Clusii,
 Quæ manat Etrusco salubris
 Fonte, diem volucrum morantur.
 Letalis omnes impetit, omnibus
 Immitis æquè, forfice quæ genus
 Mortale funestans adurget
 Atropos, horribiliquè vultu.
 Quæ penna monstrum dædala fugerit?
 Vel certa ferro dextra ceciderit
 Cruore ceruicem fluentem?
 Quævè trucem iaculantis arcu
 Pythona Phæbi tela peremerint?
 Tu laudis œstro percita, vt alipes
 Perses per auras incruenta
 Cæde potes iugulare, Virtus.

Non hinc , vt olim sanguine Pegasus
 Cretus Medusæ , gloria nascitur
 Innixa pennis , quæ volatum
 Pandit ab Hesperijs ad Indos.
 Hæc vna vates excitat inclytos :
 Hæc vna fontem , qui iuga dicitur
 Formosa Parnassi rigare , et
 Fundere nectareos liquores ,
 Non vnguis ictu Pegasus elicit.
 CHIABRERA testis tu mihi : Delio
 Nam melle pascit , recreatquè
 Ingenij tua vena mentes ;
 Seu fabulosi moribus inseris
 Inuenta Pindi , seu calamis canis ,
 Victricis aut plectro labores
 Ausoniæ celebras , Ducisque.
 Per te nec Ascrae collibus inuidet
 Flores , nec Ætnæ roscida pascua
 Arnus , nec Ismeni canorum
 In vitreo cupit amne cycnum.
 Per te furentem comprimit Africum ;
 Irasquè Nerei pectine barbitos
 Pulsata compescit , comesquè
 Doridis et Thetidis marinæ
 Pimplæa Dircen Musa Ligusticis
 Mutauit vndis , et choreas agit ,

Dum curuus in salsis canenti
Sternit equis tibi terga Delphin.

IX.

*Ad JOHANNEM WHITGIFTUM, Archiepiscopum Cantuariensem, totiusque Angliæ Primatem, et Metropolitani-
tanum.*

Authore D. BAUDIO.

Ut pictor olim nil egens acuminis
Quod ars magistra non valebat assequi
Velo pudenter textit: haud dispar ego
Dum summa conor ire per fastigia
Laudum tuarum, mole subruor gravi,
Victæque noscens artis impotentiam
Honore sacri prosequor silentii
Præclara dona pectoris tui, quibus
Vox nostra longè se fatetur imparem.
Venerande Præsul, cujus ingens gloria
Latè per omnes diditur mundi plagas,
Cui jura primi detulit suffragii
Sancto in Senatu non favor, non ambitus,
Non vi clientum freta factio potens,
Sortisve nutus vitreo fulgens bono:
Sed alta virtus, atque doctrinæ jubar,

Salusque regni, faustitasque publica,
Fideliumque amica conspiratio,
Queis acquiescens illa phœnix principum
Regina, quâ sol nil videt præstantius,
Te vexit ad summos honores, ut velut
Magnanimus Atlas mente, consultis, fide
Firmamen ingens rebus imperi fores,
Lapsamque secli disciplinam moribus
Fundare posses, atque ritibus sacris,
Quos inquinarat aut superstitio nocens
Defensa Marte et arte Romuli Jovis,
Aut insciente mota zelo exploserat
Pietas Catonum tristiorum, quam capit
Lex atque sors ætatis in qua vivimus.
Tu prisca patrum persequens vestigia
Benignus æquitatis author ordinem
Rectum reducis, atque abusum corrigis.
Non si quid olim more et exemplo probum
Detrivit error, posterûmve pravitas
Adulteravit inscientiæ favens,
Tolli necesse est. Sæpe sævius nocet,
Quâm morbus ipse, sumpta tempore haud suo
Medela, formam civitatis, et viros
Novisse oportet, indolemque seculi,
Quid ferre possit quid recuset. Ac velut
Reflante vento, cum subire non potest

Portum , sagax magister obliquat sinus ,
 Flexuque tendit quà diirecto nequit.
 Sic Censor æquus obsecundat in loco
 Vitijs adultis , applicatque tempori
 Concilia , dicta , facta : non ut approbet
 Culpanda , sed ne maceret se questibus
 Nil profituris , asperetque vim mali.
 Non expedit movere si quid attulit
 Pios in vsus author intestabilis ,
 Sed hunc modum servabit, hanc modestiam
 Vindex honestus , vt palàm sit omnibus
 Facti genus placere , non facti ducem.
 Esto , impotenter vsus est potentia
 Tarpeius iste fulminator principum ,
 Cujus superbam vim refregit altior
 Sexu virago , masculique pectoris
 Regina nullis sat loquenda vocibus :
 An hocce crimen tangit integros probis ,
 Suusque dignis denegandus est honos ?
 Profusor idem perdit indignis modis ,
 Luxuque vexat ac trahit miseras opes.
 Ideone paupertate damnari placet
 Patres verendos , et sacros antistites ?
 Imò impijs abdicta possessoribus
 Bona ad bonos redire cultores decet.
 Sic lex suprema postulat , populi salus ,

Hæc una finis, mensque donandi fuit,
Hoc fonte fluxit ampla liberalitas
Ævi prioris, vnde virtutum seges
Opima surgit, cùm redundant copijs
Qui providentur munere hoc frui queunt.
In hocce censu, si quis unquam vir fuit
Dignus reponi, iure primatem locum
Tueris o sublimis heros, qui licet
Suprema cuncta sis adeptus, attamen
Virtute vera, pectorisque dotibus
Prævertis omne sortis excelsæ decus.
Felix favensque rebus angustis ades.
Te noster ardor ambit ad cælum pio
Vocare versu, et consecrare posteris.
Verum decòre non requirit extero
Fulgere nomen, lausque clarorum virùm
• Suopte censu dives, et pudor uetat
Tentare munus, ferre quod vires negant.
Sed ut corolla flosve deponi solet
Divùm ante signa, cùm nequit tangi caput:
Haud aliter, etsi non datur fando tuos
Æquare honores, debili tamen sono
Profiteor in te mentis affectum piæ,
Ne cultor absque symbolo accedam sacræ
Virtutis ædem, quæ tibi se propriam
Donat dicatque, tu benignus excipe

Pusilla dona : sæpe dius Hercules
 Implevit ingens hospes agrestum casas.
 Ergo æmulare Numen , et fluxas opes
 Contemnere aude , neu grauare ludicros
 Spectare versus fronte tranquilla memor
 Vicissitatis, est vbi gravis Cato
 Floræ iocosis interesse amat sacris.

X.

*Ad Illustrem nobilemque Virum JOHANNEM SCOTUM,
 Tarvasium, Cancellariæ Scotiæ directorem, cum
 Poëtas Scotos edi curaret.*

Authore Gasp. BARLÆO.

Scote, Caledonii sidus venerabile regni
 Celsior, hoc dici, quod minus esse putas,
 Os Caroli, Borei locuples facundia sceptri,
 Quo tria vel possent regna loquente loqui:
 Quam tua nunc nostris illuxit gloria terris,
 Quam volupe est Batavo te quoque teste legi.
 Ecce, renascentes coëunt, ceu federe, Musæ
 Et vario pulchrum carmine surgit opus.
 Quod loquitur, natale solum est: tua Scotia Cirrha est.
 Exulat hoc omnis vox peregrina libro.
 Par te Parrhassii Helicon conscenditur oris,
 Aoniique faces ordinis Vrsa quatit.
 Tu Phœbi delubra moves. Tu pectora vatium
 Concutis, et motu fervidiore rapis.

Permessis se lympha tuis abscondit arenis.

Barbara nec veterem Græcia Delon habet.

Transfers, Scote, Deos. Transfers loca, numina, montes,

Te propè jam Tenedon quærit Apollo suam.

Ac veluti Dictynna vagis prælusitat astris,

Ducis Apollineum Phosphorus ipse chorum.

Quam gaudent se regna regi. Cum regis et uni

Credita Pegasidum causa laborque viro est.

XI.

In mare clausum Cl. viri JOANNIS SELDENI.

Non littus, Tamesine, tuum est. Non pontus et æther

Hoc superùm gestit munere quisque frui.

Nulli divisas pariter calcamus arenas.

Publica nec Dominus subditur aura suis.

Non solis patet Oceani fortuna Britannis.

Nec generos Tethys hos sibi sola velit.

Per freta, per Scythias, sine legibus, ivimus pendas.

Herculeæque patent, et patuere viæ.

Imus in Ægeas nullo remorante procellas;

Et Siculum radit nostra carina latus.

Per mare nos alio positos sub sidere vidit

Indus, et Occiduaë barbara terra plagæ.

Tot populos domus una capit. Distincta culina est.

Commoda nec vitæ quælibet unus habet.

Hac ratis urget iter. Quærit longinqua viarum.

Navigat, in fluctus imperiosa, fames.

Cur prohibes, Seldene? cupis, quæ pessima res est,
Tot populos dura sorte perire domi?

XII.

ALIUD.

Lecta fuit cunctis Seldeni pagina Divis
Et Superi chartis obstupere novis.
Quis, Neptunus ait, nostro dare jura profundo
Audeat, et regnis ponere claustra meis.
Oceanus mihi sorte datus. Sunt cetera fratrum.
Hic titulo solus liberiore color.
Assensit Citherea seni. Nam fluctibus orta,
Non passa est Tamesi subdere colla Deum.
Mnemosyne veterum tabulas et scripta revolvens,
Hac, ait, intactas isse, redisse rates.
Phæbus, ut audaces Carolo favisse poëtas
Audiit, imminuit vatibus ipse fidem.
Tum Themis. Omne patet, me iudice, gentibus æquor,
Inquit, et hæc nostri lex veneranda fori.
Ultimus intonuit strictis Mars horridus armis,
Et superos inter talia dicta dedit:
Non terrent Batavos chartæ. Non aquora voces,
Non vitreas teneat pagina scripta Deas.
Inveniet gensista viam. Qua flectere vela
Charta vetat, clausas ira recludet aqua.

XIII.

Ad Clariss. Virum D. TH. BEZAM Carmen.

Authore J. JACOMOTO.

Infans, quum patrias Beza tenellulas
Vagitu insolito concuteret domos,
Miratusque nouam, non sine Numine,
 Lucem cerneret acrior :

Illum Pierides, et Charitum chorus,
Illum cum Clario Pallas Apolline
Viderunt faciles : vidit et addita
 Cunctis læta Lubentia.

Montisque vnanimes verticibus sacris
Conuenere sui : qua strepit vngula
Fons reclusus equi limpidus alitis :
 Qua Lauri virides comas

Spargunt, Phœbigenûm præmia frontium.
Atque vmbras graciles consiliantibus
Dant Musis. Pueri Cynthius Indolem
 Princeps laudibus extulit.

Hunc carmen cithara iussit Eburnea
Maiorem reliquis reddere vatibus.
Nunc Lauri voluit tollere pluribus
 Ornatum foliis caput.

Fratris dicta sui Castalides simul
 Faustis excipiunt plausibus, et nouis
 Augent muneribus Delphica munera :

Nec quicquam puero negant.
 Sed Pallas solito sponte benignior
 Illum præcipuis ornat honoribus
 Largis nectarei viuuda quum labra
 Succis eloquij rigat :

Occultæque comes quum sapientiæ
 Ignotum per iter duxit in arduos
 Colles, ingenuum pectus vt optimis
 Illic tingeret artibus.

Quas semper placidæ iuncta Lubentiæ
 Illustrat varias mellefluo sinu
 Fundens delicias Gratia : quam decus
 Et circumuolitat fauor.

His Beza Auspicibus protinus vuidam
 Lætus spernit humum, nec trepidantibus
 Pennis, purpureum versus in alitem,
 Immensum secat æthera.

Quem vatum Aeoliis si fidibus iuuat
 Decertare choros inter amabiles,
 Victorem Aonias Delius annuit
 Clarum carpere Laureas.

Illi Teutonici limitis incolæ
 Cedunt, Erydani poter et Italus :

Et quos lacteolo pinguior vbere
Vates Gallia nutrit.

Verùm perpetuæ si sapientiæ
Facundo reserat iura recondita
Ore, et si placidis cœtibus indicat
Qua cœlum petitur via:

Illi mella, fluunt æmula nectari,
Sacro digna sonat ritè silentio,
Et quæ vulgus amat, turbaque doctior
Intentis bibit auribus.

Sic mirata suum Græcia Nestorem
Olim densa humeris dulciloquum audiit:
Quum verba eximiis picta leporibus
Cano pectore promeret.

Sic mirata frequens audiit Herculem
Priscis temporibus Gallia Celticum,
Aures quum domitas duceret aureis
Victrix lingua catenulis.

Sic Musas niteas Beza fauentibus
Semper conspicuo vertice clarior,
Et nomen meritis laudibus inclitum
Cunctis Gentibus inferas.

Maiorem inuidia te petat Invidus,
Ceum Cygnum obstreperis vocibus anseres,*
Et ceum quum rabidis Lunam vlulatibus
Nocturnus canis impetit.

XIV.

*In Poliænum NVNC PRIMVM IN LUCEM EDITUM Græcè
ab Isaaco Casabonio Græcarum literarum in Acade-
mia Genevensi, Carmen Sapph.*

Eodem Authore.

Vnde nunc, Græcus superas reuisit
Redditus luci Polyænus auras?

Vnde custodem Stygij fefellit
Liminis atrum?

Ecce pallentes Erebi tenebras
Artium fugit veterum peritus,
Quas duces olim docuit superbis
Clarus in aulis.

Vel redit tandem miserante Parca
Perpetes doctæ gemitus cateruæ.
Et tuos, Graiis Casabone Musis
Grate, labores.

Sic lyra dulcem modulante tristi
Næniam, iustisque Hecatem querelis
Mouit, et charam Eurydicen recepit
Thracius Orpheus.

Fallor, haud nigras Acherontis antè
Mortuus vidit Polyænus vmbas.

Ter trium mitis vetat interire
Turba sororum,
Laude quos virtus decorat perenni,
Quos beant vires Genij benignæ,
Et quibus semper virides opacant

Tempora Lauri :

Sed diu cæcis latitans cauernis
Pauit ignotus tineas inertes,
Et situm tristem tulit indecoro

Puluere tectus :

Sæculi quum barbaries prioris
Artibus bellis fera bella mouit,
Et furens totum voluit per orbem

Perdere Musas.

Ille tam sæui metuens pericli,
Abditus claustris latitaret vsque,
Et putri turpes carie puderet

Tollere vultus.

Sed tuis tandem Casabone prodit
Sumptibus liber, tetricosque linquens
Carceres, docti nitet expolitus

Pumicis arte.

Nunc Ducum Graia memorare voce
Bellicas laudes, simul et dolosi
Abditos sensus reserare Martis

Te duce gestit.

Perge sic claræ veterum libellos,
 (Quos situs squallens premit, et tenebræ
 Nunc tegunt densæ, retinentque vincla)
 Reddere luci.

Sic tibi Musæ faueant benignæ,
 Sic placens te Phæbus amet, tuique
 Postera semper niteant labores
 Laude recentes.

 XV.

*Illustri viro ROBERTO CÆCILIO primario regni Angliæ
 Secretario.*

Authore D. BAUDIO.

Inclyte vir, quicum partiri maxima rerum
 Pondera, et imperij curas dignatur Eliza.
 Muneris est hoc omne tui, Regina, quod ingens
 (Cui virtute parem nec tempora prisca dederunt,
 Nec ventura dabunt, redeant licet aurea regna
 Saturni veteris) mecum sociare loquelas
 Sustinuit, vultuque favens affarier illo
 Quem cœli miratur honos, cui turbida rident
 Nubila, et aspirant Zephyri. Quæ gratia tantis
 Par erit officijs? quali te carminis arte

Prosequar vt memorem me postera secula norint?
Quanquam fas sperare bonis , tamen omnia supra est
Laus meriti splendorque tui. Manet atque manebit
Æternum nostris ea lux infixit medullis
Qua verè mihi vita fuit. Vix contigit vnquam
Maior honos misso magnis a Regibus vlli.
Jam Procerum ingentem domus alta effuderat vndam ,
Longus et hastatæ gentis processerat ordo :
Quum venit augustæ gravitatis fæmina princeps.
Incedebat ovans , et tardis passibus ibat
Nympharum stipata choris. Decor aureus omnes
Ambit, at imperio maiestas digna renidet
Illius ex oculis, et amabilitate verenda
Circumfusus honos. Scires ad summa vocatans
Regna , nec indicatijs opus est, patuit dea primo
Luminis aspectu. Tantum decus et iubar oris
Fulgurat in vultu. Gemmis radiabat et auro ,
Sed magis ambrosiæ splendebat frontis honore.
Vt stletit ante oculos venerandi gloria visus ,
Torpido incubuit membris stupor, intima liquit
Ossa calor , vocemque diu præcluserat horror.
Illa manu gestuque metum mihi demere, nubem
Curarum remove, et, quantum ingentia possunt,
Miscebat placidè, tranquillabatque severam
Cypride Junonem, sed cordi insederat alto
Maiestatis apex, donec caligine tandem

Discussa redijt vigor, et lux pristina menti:
 Constiterant Proceres, latèque silentia sacris
 Fida locus servabat, et omnes ore favebant:
 Quum via laxata est linguæ, nec maxima Princeps
 Destitit attentas largiri vocibus aures,
 Singula mente notans, nisi quod deiecta modestos
 Ad tellurem oculos, percussaque pectus honestum
 Erubuit laudes, hominis sibi conscia virgo.
 Sed quid ego hæc longis ambagibus omnia circum
 Vector, et exili contexere grandia peplo
 Molior? hæc mihi lux plures supereminet annos,
 Hinc ego felicitis deduco exordia fati.
 Non mihi si totis se sensibus implicet ingens
 Mæonides digno sperem describere versu
 Qualia tunc animo persensi gaudia: sed me
 Provehit vltterius, tua quàm sors ardua poscit,
 Luxuries animi, dulcedoque blanda loquacis
 Lætitiæ, nimiumque moror tua tempora nugis,
 Tempora quæ patriæ magnis exercita curis
 Vix te flexanimi patiuntur carpere somni
 Dona, sed vsque sedens puppi Palinurus in alta
 Res agis excelsas, clavoque intentus adhæres.
 Non tibi nequidquam mentem Deus indidit altam,
 Nobiliumque capax curarum pectus, et aptum
 Consilijs: patrius viget in te sanguis, et acer
 Spiritus, exsuperantque angusto in corpore dotes

Ingenij. Fruere, et te cernat honore beatum
 Altior imperijs ac tanta sorte virago,
 Quam colit, et cuius placido sub sidere tellus
 Anglica fert sublime caput, cunctisque triumphat?
 Gentibus vna magis: vivat modo læta, diuque
 Fulgeat in terris hoc lumen, et inclyta cœli
 Progenies, donec perfuncta laboribus ævi
 Mortalis patrio tandem succedat Olympo.

 XVI.

*Triumphale Carmen, Ad Serenissimam ANGLIÆ
 REGINAM.*

Authore J. JACOMOTO.

Quæ penna, quavis ocyor alite,
 Raptum per altos me feret ætheris
 Tractus, Britannorumque sistet
 Finibus incolumen remotis?
 Vt læta fractis littora puppibus,
 Vrbesque festas hostibus obrutis
 Regina, cernam, qui catenas,
 Qui tibi perniciem parabant!
 Heu, heu, Britannis quanta ferox tuis
 Miles mouebat funera Ibericus,

Quum classe per vastum superbus
 Terrifica volitabat æquor!
 Non ante Graias pluribus insolens
 Constrauit oras Persa triremibus,
 Quum fræna Neptuno minatus
 Argolicis dare iura vellet.
 Non ante plures Actia littora
 Videre nautas, quum Pharias potens
 Augustus Ægypti cohortes
 Viribus imperij reuicit.
 Te diua, ditem quæ regis Angliam
 Seruat benigni gratia Numinis,
 Tutela, et aduersis fidele
 Præsidium columenque rebus.
 Quòd mæsta, squallens, supplice dextera,
 Vultusque largis fletibus obruens
 Cum plebe ieiuna minantem
 Damna Deum precibus serenas.
 Quid vera possit Relligio piis
 Armata votis, quid valeant preces,
 Testatur Hispani cruore
 Purpureum pereuntis æquor.
 Disiecta Ponto corpora, nauium
 Moles stupendæ, gazaque nobilis
 Captiua testatur, Ducúmque
 Nunc domitus furor impotentum.

His Angla pubes auspiciis valens
Non sustinendo sæuijt impetu,
 Classisque deiecit minaces,
 Marte pio furiata, fastus,
Vrsitque remis, accipiter velut
Molles columbas, quos fuga certior
 Æquor per incertum triumphis
 Surrripuit properata iustis.
Addicta quondam progenies Deo
Sic fudit hostes acrior impios,
 Victrixque, dum Moses fidelis
 Tendit ad astra manus precantes.
Consulta veræ quod sapientiæ
Semper minorem Numine te geris,
 Regina, vinces, hostibusque
 Sceptra feres metuenda cunctis.
Æternus orbis nam tibi militat
Rector, furentes qui quatit improbos,
 Virésque vœsanas retundit
 Omne nefas animo mouentes.
Qui te benigno lumine respicit,
Tutámque præstat: qui vigil excubat,
 Et fraudis authores recludens
 Insidias reserat latentes.
Insanientum te quibus impetit,
Turbátque liuor Pontificum irritus,

Omnisque coniurata veros
 Perdere Christicolas caterua.
 Te victus auro nunc parat artifex
 Miscere mensis toxica regiis
 Mactare, ni tutela Christi
 Fraude pium caput expediret.
 Nunc Jesuites seditionibus
 Paces Britanni vertere ciuicis
 Molitur almas, téque tentat
 Legitimis spoliare sceptris.
 Captúsque grandi munere mittitur
 Augusta sacræ limina qui domus
 Perrupit audax, et relecto
 Ense tuum latus appetivit.
 Hac arte Princeps concidit Auricus,
 Quo dura fortes vindice vincula
 Rupere Belgæ, quum Tyrannus
 Jussit Iber violare leges,
 Jurata Genti fædera subruens.
 Hæc Rôma monstrat perfida, quæ fidem
 Pactámque dextram Christianis
 Fraude noua temerare sancit.
 Cur pace facta, Tygride sæuior,
 Heu Roma quæris sub iuga mittere
 Hispana bellaces Britannos,
 Innocuúmque caput fatigas?

Vrit profanos fœmina Præsules
 Dilecta cœlo , cui placet obsequi
 Christo docenti : cuique cordi est
 Ardua cum pietate Virtus.
 Vrit cruentis quod cruciatibus
 Dulcem coactos linquere Patriam
 Solatur , et Christum sequutos
 Hospitiis recreat benignis.
 Quòd fida sacros auxiliis greges
 Firmat piorum non trepidantibus.
 Longósque Belgarum labores
 Marte potens miserata sanat.
 Quòd Veritatis feruida candidæ
 Ignes per orbem spargere lucidos :
 Et fraudis inuisas fugare
 Tartareæ meditatur vmbas.
 O TAM celebri nunc ter et amplius
 Regnata felix Anglia Principe !
 O nunc triumphatis Iberùm
 Nobilior ducibus superbis !
 Nunc nunc Britanni Cœlituum Patrem
 Laudare tempus , nunc fora , compita ,
 Et templa , diuinos fauores
 Perpetuo resonate cantu.
 Lucémque festam , quæ redeuntibus
 Ridebit annis semper Adoreâ :

Quæ fudit Hispanos potentes
 Per memores celebrate fastos.
 Fas et fauenti plaudere murmure
 Quos cura Christi prouida sustinet
 Cùm frangit hostes , cùm nefandæ
 Turba perit truculenta gentis.
 Quacunque lucis conscia Olympicæ
 Terras per omnes æthereum colis,
 Gens sacra patrem fæderatis
 Pectoribus sociate vota.
 Vt tanta cunctis sospes ab hostibus
 Regina , vitæ tempora prorogans
 Felicis, Antiquos Britannos
 Imperiis moderetur æquis.
 Vt laude seris clara Nepotibus
 Crescat nitenti : nec proauis minor
 Virtute Maiorum superbos
 Augeat armipotens triumphos ,
 Irásque semper fortior impias
 Frenet Gigantum , tristia perfidus
 Quum veritati suscitabit
 Bella gregis furor Infulati.

XVII.

D. THEODORO BEZÆ *è terris migranti ad cælos.*

Authore ANTONIO FAYO.

Bezæ funus auens parare multo
 Cum luctu, fit vti pijs amicis
 Amissis, ratione non inani
 Hoc vt non faciam vetor: favere
 Nam cui Musa solet, mori vetatur:
 Jure et triste melos ei negatur.
 Quem non vna Charis, nec vna tantum
 Donis Musa suis amans beavit,
 Musarum et Charitum chorus sed omnis,
 Adiuncta sophiæ sacrae cororca,
 Bezam dicere mortuum cauebo.

Non amissus obit, sed antè missus:
 Cæli vivit agens in arce Beza:
 Bezæ pars minor est solo reposta,
 Pars sed maior adest polo recepta:
 Bezam dicere mortuum quis ausit?

Sint ergo lacrymæ procul: procul sit
 Plorans nœnia, pertus et piorum
 Sancto lætitiæ calescat igne:
 Et Bezam resonans ferat per æthram:
 Exultetque ferens ad astra nomen
 Beza, qui super astra celsa raptus,
 Adstat cœlituum beatus aulis.

At tu, sancta cohors, Deum celebra,
Et Bezas pete vt excitet frequentes.

XVIII.

THEODORO BEZÆ.

Vixit Beza diu : nec viuere desinet vnquam :
Quid gemis extinctum, turba beata, Virum ?
Ecquid enim Cælo genitum, Cæloque receptum ?
Tot viuum scriptis, interijsse putas ?
Quid velit ex meritis Bezæ componere laudes,
Huic opus est Bezæ Carmine, et ingenio.

ROB. OLYPHANTUS *A Bachilton nobilis Scotobritannus.*

XIX.

In obitum SIMONIS GOULARTIJ, MDCXXVIII.

Authore THEODORO TRONCHINO.

Ergóne GOVLARTI vitæ præsentis et ævi
Pertæsus gaudes nunc meliore frui ?
Tantáne te potuit satias incessere nostri,
Cæli tanta sitis exatianda fuit ?
Te monstrante viam cælestia scandere suetos
Linqvis et in cælum tam properatus abis ?
Iste abitus quanti nobis est causa doloris :
Iste dolor quàm nos impatienter habet ?
Sic queritur sua qui cùm se sol condit in umbras,
Gaudia cum Phæbo præcipitata timet.

Non quæ longa tibi iam tot compleverat annos,
Ast ea quæ nobis vita fruenda fuit,
Illa est quæ nobis tam festinata videtur
Atque adeo celeri præcipitata gradu.
At velut æstivis cùm Sol spàtia ampla diebus
Decurrit, suevit nox magis esse brevis:
Et Solis reditum lucentia lumine Solis
Per noctem spondent Astra novumque iubar.
Haud aliter mæstam illustrant solatia noctem
Quæ lucent nobis sidera luce tua.
Quin reducem tam multa tui iam spondet imago,
Quæcumque ingenij sunt monimenta tui.
Sublatum ex oculis præsentiaque ora tueri
His datur et nunquam dissociandus abis.
Longa hæc: utendum his: dici sine fine merentur
Quæ fines nullos utilitatis habent.
Vitæ usura iugis, vitæ quoque vita superstes:
Cui semper cunctis vivere, vita fuit.
Vita coronari senio dignissima longo,
Æterna requie digna senecta fuit.
O felix vitæ, senij, mortisque corona
Quæ tam prolixis est cumulata bonis.

X X.

In Exequias SIMONIS GOVLARTII.

Authore ANDREA PICTETO; Genevensi.

Musa taces chari dum funera patris aguntur !
 Dum reliqui plangent, Musa tacere potes !
 Orphana quid tardas ? lugubres sumito vestes,
 Maxima tristitiæ signa datóque novæ,
 Nam tibi si lachrymas unquam mors movit acerbas,
 Si tremulos fletus ; hæc tibi flenda venit,
 Vnquam si decuit mæstos suffundere planctus,
 Jam te jámque tuos (mæsta Geneva) decet.
 Hora venit tandem, venit hæc lachrymabilis hora,
 Qua te, GOVLARTI, tristia fata vocant.
 Heu cithara in lamenta cadit, gemitúsque remugit,
 Nostra graues luctus gaudia præripiunt :
 Qui fuerat pietatis honos, qui splendida lampas,
 Qui docuit puræ Relligionis opus,
 Pabula doctrinæ præbendo salubria ovili,
 Cresceret vt summi gloria summa Dei,
 Iste, inquam, (dolor heu) rigida pallescit in urnâ,
 Pallidus et gelido clauditur in tumulo.
 O longè deflenda dies ! ô flebile fatum !
 O querulis semper lux repetenda sonis !
 Plangite Christicolæ, Pastorem flete fidelem,
 Immites Parcæ cui rapuère diem.

Ah pater hic mæstos Reverende relinquis amicos ,
Pectore dum læto Regna superna petis !
Undique jactatur rapidis Ecclesia ventis ,
Tartareus necnon sævit ubique lupus ,
Heu Custos Venerande , gregem cur deseris isto
Tempore , cur linquis , Pastor , ovile tuum ?
Quid loquor ? hoc opus est fati , quod parcere nulli
Novit , quodque hominum flectere nemo potest.
Quemque manet sua mors , ac quantum vivere debet ,
Vel fas est , tantum vivere quisque potest.
Mittantur lachrymæ , mæstique è corde dolores ,
Nil prosunt lachrymæ , nil dolor ille iuvat ,
Nam quid opus luctu cum fato subdita cuncta ,
Decretam sortem nemo cavere queat ,
Occidit emeritus , multis grauis occidit annis ,
Ac dum decedit nobile fænus habet ,
Illi diuinus splendet post nubila Phæbus ,
Nos varius vitæ ventus et imber habet.
Post varios casus , pro tot præstantibus ausis ,
Gratam in mercedem possidet astra poli ,
Post duros annos , post tædia longa laborum ,
Otia Sanctorum mollia lætus agit ,
Percipiens animâ cælestis gaudia vitæ ,
Gaudia quæ nullo sunt peritura die :
Nil in morte mali si quis modò credere possit ,
Est bona sola bonis , sed mala sola malis.

Eius lætantis mihi personat auribus hæc vox ,
 Terra vale , nihil es , terra caduca vale.

Viventes morimur , morientes vivimus , hoc est
 Vitæ mors vita est , vivere velle mori est.

Quid tam lugetis ? cur me defletis amici ?

Cælis , qui moritur , nascitur •striferis.

Ecquid in humanis non vanum et futile rebus ,

Ecquid in arce poli non stabile esse solet ,

Continuus labor est hæc vita , ô sæpe beati ,

Queis datur Elysium sic habitare nemus !

Hospitium mihi terra fuit , sed patria cælum ,

Cur gemitis ? dum vult me revocare Pater ,

Dum mundum immundum , cælos quærendo , relinquo ,

Dúmque solum haud solidum desero , firma petens.

Temporis ipse satis fueram peregrinus in orbe ,

Vera fuit tandem mi repetenda domus ,

Sum satis expertus , uidi satis vndique vitæ

Fulmina præsentis. Terra cruenta vale ,

Sat curis querulisque datum plangoribus , illa

Sed nobis placeant quæ placuere Deo.

Is quia natus erat , denasci debuit æquis

Legibus , hæc est lex omnibus vna , mori :

Improbet hoc quisnam data si nunc fata reposeant ?

Naturæ solvi debita fata volunt.

Disce mori hoc quisquis funus tam cernis acerbum ,

Quisquis et hæc pavidus pallida membra vides ;

Disce mori , factis sed vitam iungere morti ,
Mors tua , tunc non mors , vita perennis erit ,
Spem supero vitæ melioris in axe reponens
Inspice quid præsens vita sit atque ferat.
Immanes vitæ scopulos contunde virili
Pectore , sit Christus vita , salúsque tua.
Tu fruere intereà , quæ voce gemente petebas ,
Sanctæ animæ sanctis æthereisque bonis ,
Angelicos inter cætus , animásque beatas ,
(O Venerande senex) gaudia mille cape !
Hæc sunt vera piè transacti præmia cursus ,
Hæc est devoti vera corona viri ,
Cælestes campos , Cælestia gaudia , Cæli
Delicias reliquas , qui bene transit , habet ,
Atque (quod est cumulus terræ cælique bonorum)
Conspectu fruitur , colloquióque Dei.
Desine Musa loqui , satis est , iam Musa quiesce ,
Ast etiam in Christo Chare quiesce pater ,
Chare quiesce pater famâ super æthera notus ,
Vtere fælici sorte , Beate senex.
Exue tot planctus , tot pelle Geneva dolores ,
Fidum Pastorem desine flere tuum ,
Non amissus is est , solùm præmissus ad astra :
Tanti facta viri fama silere nequit ,
Tanto vita viro manet , æternumque manebit ,
Nam pietas finem nescit habere suum.

Quod superest da Christe pari pietate Ministros,
 Nobis conserva pro bonitate datos.
 Audi mæstorum fletus, suspiria, planctus,
 Exaudi populi fervida vota tui,
 Summe Pater rebúsque veni non asper egenis
 Cum sacrosancto flamine Christe veni.

 XXI.

Ad PETRUM GRAVINAM.

Authore J. J. PONTANO.

Mecum si sapias Grauina, mecum
 Baias, et placidos coles recessus,
 Quos ipse et ueneres colunt, et illa
 Quæ mentes hominum regit uoluptas.
 Hic uina, et choreæ iocique regnant,
 Regnant et charites, facetiæque.
 Has sedes amor, has colit cupido,
 His passim iuuenes, puellulæque
 Ludunt, et te tepidis aquis lauantur,
 Cænantque, et dapibus, leporibusque,
 Miscent delitias uenustiores.
 Miscent gaudia, et osculationes,
 Atque unà socijs toris fouentur.
 Has te ad delitias uocant camænæ.

Inuitant uolucres canoræ , et ipse
 Gaurus pampineas parat corollas.
 Quis cum dulciculæ accubans Philenæ ,
 Ad mensam calices madentiores
 Exicces bibulus , citesque somnum.
 Hæc te, dum tenero in sinu quiescis ,
 Dum lento caperis sopore, molli
 Amplexu foueat, uocetque somnos
 Et cantu, et numeris, strepente et aura,
 Componatque genis genas, et ori
 Os blande admoueat, quiete et una
 Coniungat placidos et ipsa somnos.
 Hæc Baiæ dederint tibi Grauina,
 Hæc capta illecebris tuis Philena,
 His in delitijs ages beatus,
 Mecum dum placidos colis recessus.

 XXII.

Ad PETRUM SUMMONTIUM.

Eodem Authore.

Ducit dum choreas Neæra, linqunt
 Et prata, et uirideis agros Napææ.
 Pulsat dum citharam Neæra, currunt
 Ad plectrum Driadesque Oreadesque,

Cantat dum ad numeros Neæra, cultæ ad
Cantum Naiades ruunt frequentes.
Miscent hinc thyasos, Neæra ducit,
Et ducit simul, et canit, canenti
Assurgit nemus, assonantque ripæ.
Et littus resono fragore plaudit,
Plaudit cæruleis Auernus undis,
Gaurus de specula superbus alta
Effundit uiolas, rosas, Cyperos,
Et myrti teneros, thymique flores,
Vnam et balnea consonant Neæram.
Dic o dic age Petre, quæ uoluptas?
Quæ mens tum tibi? non beatus esse?
Non Dis persimilis tibi uideris?
Quid? cum de charitum manu capillum
Ornata, ambrosyæ et comam liquore,
In te dulciculis tuens ocellis,
In te lacteolo sinu refusa
Instillat placidum tibi uenenum,
Et uultu, et lapijs, et ore hiulco?
An non inuideant dij tibi ipsi?
Non quod dij dederint, dedit Neæra,
Indicas etiam ut dijs duellum.

XXIII.

Tomulus THEODORI GAZÆ.

Eodem Authore.

Sume lyram : dic Musa modos dum condimus umbram,
 Et puer, et coluit numina uestra senex !
 Indignus tellure, Deos Theodore petisti
 Sera quidem, tamen est longa parata quies.
 Virtute, ingenijque bonis hoc ipse parasti,
 Vt cæli aspiceres aurea tecta senex.
 Nos artus terra tegimus, tu caste sacerdos
 Da requiem, Æternum iam Theodore Vale.

XXIV.

*Epitaphium BENEDICTI SCALIGERI patris inuicti, atque
 imperterriti.*

Authore JUL. CÆS. SCALIGERO.

Euerso patrio imperio, atque illustribus armis,
 Scaligerum inuicti post monumenta animi,
 Victum ab eo toties fatum superauit : et inde hæc
 Reliquias tanti nominis urna capit.

XXV.

*Affinis suæ NOGAROLÆ Epitaphium hoc condidit, Græca,
Latina et Thusca lingua, poetriæ mirabilis.*

Eodem Authore.

Sub decimam triplicis linguæ commercia Musam
Hoc tenui cinerum pulvere capta iacent.
Heu dulcis numerosque lyræ, flexumque sonumque,
Obruit extremo lurida Parca die.
Mnemosynes sanctæ soboles, pia turba camænæ,
Non capitis tumulum hunc ex Elicone locum?

XXV.

Ad JOANNEM FRANCISCVM SARACENVM.

Authore ÆGIDIO MENAGIO.

Vrbis amatorem SARACENVM ruris amator
Menagius saluere jubet: quam diligis Vrbem
Ipse colas, nobis placeant super omnia Siluæ.
Si colimus Siluas, coluerunt Numina et illas.
Nunc colit Aonidum decus immortale Sororum
BALZACVS, extremos famâ celebratus ad Indos.
Non absunt et sancta Fides, Pietásque, Pudorque,
Innocui mores, Vrbi nec cognita vestræ
Simplicitas, Virtutis amor, Rectique cupido.

Si quæris quid agam, Laërti scripta reuoluens
Grajugenûm sectas omnes expendo Sophorum
Addictus nulli. Nunc dîa effata Platonis,
Nunc et Aristotelis victricia dogmata laudo;
Jam Cynici, jam Pythagoræ mihi dicta probantur;
Mox et Aristippus placet, et mox Stoica turba,
Et Pyrro in medio qui semper fluctuat æstu,
Et modò me retinet placidis Gargettius hortis.
Fragrantis sic mellis apes cælestia dona
Floribus in variis picti populantur Hymetti.

Ast ubi defesso permittunt otia libri,
Nunc juuat in densas solum me condere siluas,
Nunc juuat ad fontes fusum deponere corpus;
Nunc placet et frutices scalpro purgare nouellos,
Et teneros læto flores nunc imbre rigare.
Mox placet aut lepores aut cursu frangere damas,
Aut piscem tremulo salientem ducere lino,
Subdolæue incautis prætereundere retia turdis.
Quin etiam quandòque pedum Pastoris Amyntæ
Delectat sumpsisse manu, quod Præsulis aureo
Commutare pedo nolim, pia Numina testor,
Nec pudet in colles hirtas egisse capellas.

Quis, rogo, quas vel habet tristes Venus improba curas
Dira vel ambitio, non vltro ponat amæni
Has inter tot delicias et commoda ruris?
Experior: nullæ hic turbant mea gaudia curæ:

Inficiunt hîc nulla meos mihi nubila soles.
 Hîc mihi muta quies, hîc alta silentia regnant,
 Rumpere quæ soleat gracilis nil præter auenæ
 Pastorum agrestes calamos, auiúmque canoras
 Nil præter voces, et murmur amabile limphæ.
 Scilicet unius flagrans Virtutis amore,
 Fortunæque vices ridens et lubrica rerum,
 Non hîc dura pati Procerum fastidia cogor,
 Non hîc dura pati sæuæ fastidia cogor
 Partheniæ, atque graues immitis Chloridos iras.
 Liuor abest, et abest famæ irrequieta cupido.
 Non me falsus honos, studium non urit habendi.
 Non misere torquent vestri mala gaudia luxus,
 Excepto quod non unà sumus omnia lætum.

Si nos ergo voles ex omni parte beatos
 Huc quæso dilecte veni: quam diligis Urbem
 Jam nolim SARACENE colas. Mea dicta retracto,
 Et piget ah! dixisse piget. Quam diligis Urbem
 Linque precor, magnóque tui qui flagrat amore
 Menagium veterem festinus vise sodalem.
 Non ô dulce caput, non ô suauissime rerum
 Ignotus venies: SARACENI nomen et ipsi
 Gondiacci norunt colles, et flumina norunt.
 Tam mihi dilectum cunctis et amabile nomen
 Ipse ego Gondiaccæ colles et flumina villæ
 Edocui, blandis heu! te dum, dulcis amice,
 Longiùs absentem compello vocibus absens.

O! valeant Vrbes æternùm , dummodo ruri
 Sis ipse æternùm , tecum et mihi viuere detur.
 Hei mihi vos Vrbes nostros sed habetis amores ;
 Sed mea Parisij SARACENUM gaudia habetis ;
 Delicias nostras Saracenum , quo sine nobis
 Tranquillis non esse licet , non esse beatis ,
 Et placeat non ipse Jocus , non ipsa Voluptas.
 Quo sine nam memini , populosa Lutecia sæpe
 Visa mihi Lybyâ penitus desertior ipsâ ,
 Secretis qui turba fuit mihi plurima siluis.

Si qua tui , SARACENE , tenet te cura sodalis ,
 Huc igitur dilecte veni ; te Lydia quamuis
 Candida circumdans optato guadia collo ,
 Lydia Sequanidas inter pulcherrima Nymphas ,
 Omnibus illecebris et amans et amata moretur.
 Par quoque te quamuis PVTEANI nobile Fratres ,
 AC PVTEANORVM cultissima turba Sodales
 Et salibus doctis docto et sermone morentur.

Ergo veni , tecumque feras Veneresque Jocosque.
 Ergo veni , tecúmque feras Citharamque Tubamque ,
 Et quibus innuptæ cantabas Phyllidos ignes
 Siluestres Calamos , queis Moschi cedat auena.
 Molles adde Elegos , felices adde Phaleucos ,
 Quosque truces quondam vibrasti sæuus Iambos.

Mentiar ut venias , aderit quem suspicis unum ,
 GONDIADES columen rerum et tutela mearum ,

Francigenùm sublime decus, spes magna Senatus
Purpurei, nostri rarissima gloria sæcli.

Sed si, quod nolim, quod non puto, carmina ab Vrbe
Haud te nostra valent ad nos deducere, rura
Tunc ego deuoueam; tunc vos concedite fontes;
Tunc valeant colles, vos littora grata valete,
Vos nemora et saltus, ipsi veniemus in Urbem.

At crepuere fores, latratque in corte molossus.
Auditis? an ludit amabilis error Amantes?

XXVI.

Ad Serenissimam ELIZABETHAM ANGLIÆ REGINAM,

O D A.

Authore .D. BAUDIO.

Augusta proles magnanimi patris,

Regina regnis altior omnibus,

Quam fama maiestate fulgens

Per maria, et populos, et urbes

Laudum ter-amplis tollit honoribus

Quacunque terras Sol habitabiles

Illustrat, o miranda mundi

Gloria, depositumque cæli!

Sublime pectus, mens homine altior,

Quæ cura fandi, quis poterit labos

Tuas, o heroina, dotes

Promerito celebrare cantu?

Non si resurgat Mæonius pater,
Cunctasque vires carminis explicet,
 Illique præsens fautor adsit
 Phæbus, et Aoniæ sorores.
Jam penè cursus lustra novem suos
Egere, postquam te Deus, et tuum
 Jus evocavit ad supremum
 Imperij decus Anglicani.
Nullæ tot annis indigenas tuos
Pressere clades, non capiti imminens
 Solo paterno eliminavit
 Hostica vis dominum priorem.
Nec defuerunt semina civici
Motus, sagaci consilio prius
 Evulsa, quam gangræna serpens
 Glisceret ex humili potenter.
Sæpe in salutem fraude nefaria
Juravit Orco missa lues tuam,
 Gens eieratrix Christiani
 Nominis, et titulo superba
Sodalitatis sacrilegum scelus,
Dolosque versans, dum populariter
 Mactare reges Christianos
 Et docet, et furialis audet.
Ab hacce dira colluvie Deus
Te sospitavit: nil potuit furens,

Totaque regni mole nixus
 Hisperiæ dominator oræ.
 Magnum illa cunctis intulerat metum
 Horrenda classis, sed timor et minæ
 Cessere, testanturque atrocem
 Relliquiæ tenues ruinam.
 Insons inani fulmine Romulus
 Solvit Statori ludibrium tuo,
 Gratoque cum risu patescit
 In cineres abijsse flammam.
 Sed quid vetustis immoror? en recens
 Fulget benigni gratia Numinis.
 Jam Panico terrore quassus
 Auspice te, ducibus fatis
 Hiberna linquit regna ferox Iber,
 Vitamque fœdis conditionibus
 Exorat, et præfert opimis
 Incolumem reditum triumphis.
 Non hoc patrarunt robora Martiæ
 Delecta gentis, quæ tibi militat,
 Sed Numen, humanisque maior
 Consilijs opibusque virtus.
 Deum potentem quod colis, imperas;
 Felicitatis fundus hic est tuæ,
 Segesque famæ, quod fugatis
 Pura nitet pietas tenebris.

Mentita vanos relligio Joues
Longé facessit, nudaque veritas
Mysterio verbi recluso
Pandit iter superas ad arces.
Pacata currunt æquora navitæ,
Nullo viator carpit iter metu,
Bos tutus errat, herbidisque
Luxuriat pecus omne campis.
Fæcunda cornu copia divite
Telluris almæ læta sinum beat,
Fundusque non mendax avari
Spem satiat cupidam coloni.
Lex et voluntas flagitium domant,
Virtus amatur munditijs suis
Simplex, neque externis renidet
Cultibus ut mereat probari.
Non disciplinæ nescia tetricæ
Illiberali diffluit ocio
Iuventa, sed primis ab annis
Ingenuas meditatur artes.
Nascentem mundo non alios putem
Fulsisse soles, tempore quo pater
Saturnus alta pace, et æquis
Imperijs Latium regebat.
Ergo beatos o ter et amplius
Tali Britannos principe? principe,

Cui nulla (dicere haud verebor)
 Nulla parem generavit ætas.
 Te cælitum rex numine protegat,
 Te longum in ævum publica faustitas
 Terris reservet, patrijque
 Sera domum repetas Olympi.

 XXVII.

In Psalmos THEODORI BEZÆ Theologorum eximij.

Eodem Authore.

Qvale melos, quum finis adest, ac meta senectæ,
 Integrat ipsa suæ præfica mortis olor.
 Tale ô Beza canis sacrorum gloria vatum,
 At non eventu stent tua fata pari.
 Cygnum namque repens mors occupat usque canentem
 Tu vivasque diu, serus et astra petas.

 XXVIII.

VERSICULI.

Auth. J. A. THUANO.

(*Ad Finem Vitæ Suæ a seipso scriptæ.*)

VIGESIMVS præteriit et centesimus
 Dies, ceclini corpore ex quo in sellula

Humili recumbo, sternor aut supra torum;
 Tandemque plane clinicus iaceo domi
 Inter dolores languidum corpus trahens,
 Pejor priore semper et sequens fuit.
 Tentata te monente nequicquam omnia,
 Amice THUMERI, debeo cui vitam hactenus.
 Asclepiadum cessit in vitam labor,
 Frustra rogatus et bonus Rene almius
 Peculiaris abdita artis pandere,
 Stertit profundum nocte dum crucior miser.
 Quid iam amplius moramur in terrestribus,
 Grauiora morbo et experimur remedia?
 Tentanda cælo per pias preces via:
 Nec vita tanti est, tandiu, ut uiuas, mori.

No. Mai. M. DC. XVII.

XXIX.

ALII VERSICULI QUI SEQUUNTUR, EX EADEM VITA.

Eodem Authore.

HEIC in quiete buccinæ exspecto sonum,
 Animas iubebit quum solutas ad sua
 Humi relictæ transvolare corpora,
 Interque functos ultimæ sententiæ
 Iudex sedebit et superstites Deus.
 Vbique quæ seruata semper ab omnibus,

Hanc ipse, quantum corporis non noxij
 Hebesve sensus ingenj non obstitit,
 Teneris ab annis vsque seruavi Fidem.
 Mihi culta corde sancta non ficto Trias,
 Et criminis Crux expiatrix non svi.
 Mihi veritatis cura vitæ commodis
 Antiquiorque caritatibus fuit,
 Nullique facto, voce nulli iniurius,
 Iniurias patienter aliorum tuli.
 Tu quisquis es, qualisque quantusque ô bone,
 Si cura veri est vlla, si pietas mouet,
 A me meisque iniuriam quæso abstine.

 XXX.

THUANUS.

*A Calignono inuitatus hoc carmen extemporaneum
 fecit.*

Ipse RABALÆSUS γελωτοποιὸς loquitur.

Sic vixi, vt vixisse mihi iocus, atque legenti
 Quos uiuus scripsi sit iocus vsque iocos.
 Per risum atque iocos homini data vita fruenda
 Inter amarescit seria felle magis.
 Et nunc ne placidos lædant quoque seria maneis
 Cavit Echionij prouida cura Dei.

Tam quæ à patre domus fuerat Chinone relicta,
 Qua vitreo Lemovix amne Vigenna fluet,
 Postquam abij, communis in usum versa taberna
 Lætifico strepitu nocte dieque sonat.
 Ridet in hac hospes pernox; ridetur in horto,
 Cum populus festo cessat. In vrbe die,
 Tibiaque inflato saltanteis incitat vtre,
 Tibia Pictonicos docta ciere modos.
 Et quæ musæum domino, quæ cella libellis,
 Nectareo spumat nunc apotheca mero.
 Sic mihi post minimum vitæ tam suaviter ætum
 Dent hodie ad prisecos fata redire iocos,
 Non alia patrias ædeis mercede locare,
 Vendere non alia condicione velim.

 XXXI.

*Ad Illustrissimum Dominum, D. DUDLÆVM CARLETON
 Magnæ Britannicæ Regis apud Federatos Ordines
 Legatum, postquam regium mihi munus exhibuisset.*

Authore GASP. BARLÆO.

Salvete puppes, quæ Britannicum pignus,
 Et Carletoni sanguinis decus clarum
 Portatis undis; cujus Albion curis
 Suffulta curas fulciet Batavorum,

Et bellicosos Belgici soli patres
 Sororiente lenis eriget sceptro.
 Salvete puppes : Tuque Nerei coniunx,
 Et qui patienti rector incubas ponto
 Neptune : seu jam Carolo favens regi
 Classes adornas lætus, et rates quassas
 Bellis adaptas : sive transtra Flandrorum,
 Hostesque Morinos, mobilesque prædonum
 Invadis arces, victimasque Cattorum
 Vltor cruenta rursus expias cæde :
 Expone terris creditum mari magno
 Illustre nomen, cui vices dedit fandi,
 Facundiæque celsa jura transcripsit
 Princeps Stuartus, ille triplicis regni,
 Boreique splendor orbis, alma majestas
 Populi potentis, imperique majorum.
 Mitescat æquor omne, nec sacrum pondus
 Violent procellæ, donec ora Toxandrûm
 Aut Mosa tanto gratuletur Heroi,
 Coëatque dextræ dextra Federatorum.

Stamus Batavi, vivimusque non victi,
 At Rege socio. Cur satur triumphorum
 Turges trophæis Belga? cur tui Martis
 Stupescis ausus? poscit hic sibi partem
 Laudum Britannus. His Eliza vexillis
 Involvit ensem, Cantabroque nobiscum

Cruore tinxit! Hæc Ibericam classem
Demersit undis, hujus ultimæ Gades
Arsere flammis. Sola nec tui facti
Vis tanta rerum est. Cur superba despexit
Ostenda Bætîm, messibusque plus ternis
Attrivit hostem? leniit famem Britto
Illaque arenâ miles occubans Scotus,
Formidolosi spretor inclytus lethi,
Terram momordit; quoque constitit vallo,
Patriæ trophæum fixit, et sibi bustum.
Ille obseratis victor irruit portis,
Mauros fugavit, acer institit Flandris,
Stravit Varaxum, totque laureas junctis
Divisit armis. Ipsa pressa libertas
Injuriosa servitute latronum
Redintegratæ debet huic decus sortis.
Nec bella solum, et gentis Asturum diros
Domuit furores, exulemque Gradivum
Ferociente nuper exuit parma.
Cum rex utrique jura dictitans Phæbo
Victas sub ipsa cerneret rates Calpe,
Tartessus atros fumigantibus transtris
Spectaret ignes, Herculisque vicini
Tremèrent labores, jamque fessus armorum
Philippus acri posceret moram bello,
Iterum phalanges scribit, et suas Rheno

Sociat cohortes, Martiasque despumat
 Tamesis procellas. Vnus hostis ambobus,
 Commune bellum est. Tu Deos Batavorum
 Proceresque nostros, Belgique custodes,
 Affaris, Heros magne, tu Rosas læto
 Donas Leoni, regiosque facundus
 Jussus recludis, consilique momentis,
 Latè patentis flectis imperi frena.
 Talis feroces voce flexit Atridas
 Nestor disertus, et duces Mycenarum
 Affatus olim est. Talis arce Tarpeia
 Cyneas Quiritum Patribus dedit pacem,
 Docte locutus. Et velut mari vasto,
 Postquam furentes stella lætior Cauros
 Fugavit undis, emicantque percussis
 Ledæa signa, terror exulat ponto,
 Dimissa rursus vela Tiphys expandit:
 Tu sidus alnum, tu jubar salutare,
 Dexter secundas: quo loquente bellorum
 Honor facessit, Hesperique regnator
 Ferale rebus augurat suis signum.

Sublimis anima, magne Regis interpres
 Dudlæ, qui me purpuræ Britannorum
 Donis inauras, pessimoque tot vatum
 Offers stupendum munus optimi Regum,
 Musisque nostris censor æquus applaudis:

Has sume gratæ mentis obsidēs chartas,
 Arrham clientis, candidique libamen
 Castum poëtæ. Sorte si meâ dignum est.
 Placuisse sceptris, jam benignus indulge,
 Placuisse vobis. Cur iniqua sit Phæbe,
 Favente Phæbo? cur neget serenatos
 Aurora vultus: quem serenus adspexit
 Titan, tuæque gentis editum Numen?
 Me si favoris compotem tui faxis,
 Excelsus ibo, quâ super Deûm sedes
 Mundique tractus, fornicesque flammantes,
 Superûm theatris destinaris, et cælo
 Præmittis amplum splendidæ decus famæ.
 Sic læta semper Carolo fluant secla,
 Vivat beatus, veritatis assertor,
 Et Christiani nominis potens robur.
 Sic gratus illi, particepsque curarum
 Sospes supersis. Patriæque jam fare,
 Quæ verba laudet Belga, damnet Hispanus.

 XXXII.

Ad Illustrissimum Dominum, JOANNEM CECILIVM Comi-
tem Exoniensem, Baronem a Bvrglhey etc.

Authore Roberto DALIELO.

Non ego miror opes, non me tua nomina tangunt,
 Stemmata nec celsæ conspicienda domus,

DALIELUS.

Ora nec ingenue vernantia flore juventæ
Grande quibus pretium ponere vulgus amat,
Sancta tibi virtus Pietas altissima rerum
Tam juveni tantas quod placet inter opes;
Nobilitas hæc tota tua est, propriusque nec ullis
Traditus à proavis hinc tibi surgit honos.
Quantum illi dederant, illis tua maxima virtus
Imputat, et seclum debet vtrumque tibi,
Debebit certè: nam quod maioribus addis
Jam decus, exemplum posteritatis erit.

XXXIII.

Ad Illustrissimum Dominum CAROLVM DORMERVVM, Comitem Caenarvonensem, Vicecomitem ab Ascot etc.

Eodem Authore.

Vidimus HERBERTOS, orientia sydera, Fratres
Vidimus, et vivos vix benè perdidimus:
Damna sed aspectu solamur nostra nepotis,
Maximus hunc natos reddere jussit Auus,
O nimium dilecte Deo, cui læta propago
Exoritur, voces accipe quæso meas!
Fortunate senex, quoties aut respicis illos,
Qui Pater, aut geminum qui benè dicit Aue:
Dura dum crescit sanguis tuus, hic erit olim
Carolus augustæ gloria rara domus;

Carolus ingentes paruo sub pectore versans

Nunc animos , magno pectore , quantus erit? (1)

XXXIV.

RES ACCIPITRARIA.

FABULA *de initio* REI ACCIPITRARIÆ , *eleganter excogitata* ,
ex secundo libro Hierascosophioy , incerti autoris.

Nunc vnde accipitri hæc adeo contraria , tamque

Pugnantes sortita modos vis insita fluxit :

Ales ut altilium in gentem implacabilis hostis

Bella gerat , nutus tamen idem obseruet herileis ,

Et cultu humano domitus mansuescat et arte ,

Dicite Pierides , primaque ab origine caussas

Indagate rei , seriemque reuoluite facti.

Perfidiam Troûm , et spretos vlturus honores

Neptunus structis pactos pro mœnibus vrbis ,

Per Phrygios late spargebat brachia campos :

Nec mora , sternuntur segetes , labor irritus anni

Spésque iacent hominum , Simoïs iam deserit alueum

(1) These verses are appended to the following Tract. *De Necessaria Dei Gratia et Libero Hominis Arbitrio Disputatio Quarta. Aduersus Dionysium Petavium Jesuitam. Quam publice tueri conabitur R. Dalielvs , Scoto-Britannus. Genevæ , apud J. De Tournes , 1645. 4.º*

Auctior, et Xantho excedens sua flumina miscet.
 Vix summis nemorosi Idæ iuga fluctibus exstant,
 Admittuntque greges, medijs natat Ilion vndis.
 Tum cuiusque rei obsessos vrgebat egestas,
 Summaque frumenti penuria, non tamen illi
 Væcordeis posuere animos, oracula diuûm
 Scitati, aut Lycias sortes, Phœbumque rogarunt.
 Sed quasi non diuûm iussu, non cœlitus esset
 Illa immissa lues, vicina per oppida mittunt,
 Qui Cererem coëmant rebus solamen in arctis,
 Auxiliumque petant, Ceteque immania contra,
 In cælum vastos Cete eructantia nimbos.

(Is miseris cumulus diuinæ accesserat iræ)
 Expediant classem, et socios hortentur ad arma,
 Illa tempestate Hierax rex nomine dictus
 Pollebat late imperio, iustissimus vnus
 Qui fuit, atque omneis inter tota Aside terra
 Diuini cultus et seruantissimus æqui.
 Hic Mariandynos magna ditione tenebat,
 Cauconasque feros: huic tum piscosa Synope,
 Atque Elatea mari Scythico circumsona, et olim
 Miletî fundata à ciuibus Heraclea
 Parebant, quantusque patet sinus illius oræ.
 Huc oratores delecti sorte per urbem,
 Tempora præcincti ramis pacalis oliuæ,
 Mittuntur, qui supplicibus mæstisque querelis,

Principis inflectant sensus , pacemque reportent ,
Et victum , armatamque petent in prælia classem :
Acceptis ille hospitio , Quod poscitis (inquit)
Hoc dabitur. Pietas iubet id mea. Quippe laborum
Haud alium , tantarum et opum , lateque potentis
Imperij fructum duco et laudabile lucrum ,
Quam bene de cunctis in vita posse mereri ,
Alloquioque inopes dignari , opibusque iuuare.
Nulla mora est , vestris quamprimùm edicite læti
Ciuibus , arma , viros , duce me , classemque , paratam
Exspectent. Vix desierat , iam classis in alto est ,
Armatique foros complent iam remige crebro
Inuersa Euxini spumant vada salsa profundi.
Jamque in conspectu Tenedos , iam Troia pubes
Prospectans longe exultat , cùm sæuus ab alto ,
Ægei quo rege tremit circumflua Ponti
Regia , Neptunus furiali incanduit æstu :
Et , quis (ait) nostras posthac procumbat ad aras
Sacra ferens , cumuletve pijs altaria donis ,
Si consulta deûm vindicta eluditur arte
Humana , et scelus est mortali vindice tutum ?
Alcides potuit monstro eripuisse biformi
Hesionen. Fuit hoc illi per numina pronum.
Et sua virtutem patriam fortuna secuta est.
At non iste , apibus qui nil nisi fudit auitis ,
Non feret hoc impune Hierax. Resperserit aras

Sanguine taurorum, et sacros adoleuerit igneis,
Hactenus in superos pius: ad nunc impius esse
Desinat, insanæque luat periuria gentis.
Haud plura iratus, picea caligine cælum
Conditur, et Zephyris aduersi flantibus Euri
Insurgunt, gelidamque Notus concurrat in Arcton,
Ft vastos tollunt connixi ad sidera fluctus:
Ex oculisque procul Troûm spem classis amicæ
Eripiunt. Resonant vndæ, et caua littora plangunt.
Dumque insperato turbatum murmure pontum,
Attonitus ductor puppi despectat ab alta,
Et frustra meliora deos sedet omina poscens,
Ecce repentinæ circunstant vndique cælo
Immissæ volucreis, et diris æthera rumpunt
Cantibus. Hic Hierax primum temerarius arma
Cingitur, et stricto crocitantum auertere nubem
Molitur ferro et flammis. Illæ acrius instant
Conantemque vrgent magis, et magis vsque fatigant:
Jamque iliisa vadis classis, prætorique ipsa
Ægæum fractis tabulis rimosa bibebat:
Indoliut casu summi regnator Olympi,
Fraternisque odijs finem dedit, atque seueras
Parcarum leges, et ineluctabile fædus
Fatorum elusit: néue immortalis auaro
Mersa mari, mens terrestri cum mole periret,
Fluctibus ereptum pernicibus extulit alis,

Et pedibus teneris vngueis confixit acutos :
 Vltoremque animum, et memorem pietatis auitæ
 Addidit; hinc et adhuc odio genus omne volucrum
 Sæuaus habet, veteresque etiam nunc improbus iras
 Seruat: at illa fides, desideriumque iuuandi
 Humanum genus, et pietas generosa remansit.
 Hinc hominum ad voces exultat, et arte magistra
 Accipiter paret monitis, ac iussa capessit.

 XXXV.

Luna est habitabilis.

Authore *Tho. GRAYO*, Anglo. [1]

Dum non rorantes non incomitata per auras
 Urget equos, tacitoque inducit sidera lapsu :
 Ultima, sed nulli soror inficianda sororum,
 Huc, mihi, Musa: tibi patet alti janua cæli,
 Astra vides, nec te numeri nec nomina fallunt.
 Huc mihi, Diva, veni: dulce est per aperta serena
 Vere frui liquido, campoque errare silenti;
 Vere frui dulce est: modo tu dignata petentem
 Sis comes, et mecum gelidâ spatiere sub umbrâ.

[1] *These were Cambridge Tripos Verses, by the Great English Poet, Thos. Gray, author of the Elegy in a Country Church-yard.*

Scilicet hos orbés , cæli hæc decora alta putandum est ,
 Noctis opes , nobis tantum lucere : virumque
 Ostentari oculis , nostræ laquearia terræ , —
 Ingentes scenas , vastique aulæa theatri !
 Oh ! quis me pennis æthræ super ardua sistet
 Mirantem , propriusque dabit convena tueri ;
 Teque adeo , unde fluens reficit lux mollior arva ,
 Pallidiorque dies tristes soluta tenebras ?

Sic ego — . Subridens Dea sic ingressa vicissim :
 Non pennis opus hic supera ut simul illa petamus ;
 Disce puer , potius cælo deducere lunam :
 Neu crede ad magicas te invitum accingier artes ,
 Thessaliscosve modos : ipsam descendere Phæben
 Conspicies , novus Endymion ; seque offerer ultro
 Visa tibi ante oculos , et notâ major imago.

Quin tete admoveas (tumuli super aggere spectas
 Compositum) tabulo ; simul inum invade canalem ,
 Sic intenta acie , cæli simul alta patescunt
 Atria ; jamque ausus Lunaria visere regna ,
 Ingrediere solo , et caput inter nubila condas.

Ecce autem ! vitri se in vertice sistere Phæben
 Cernis , et oceanum , et crebris freta consita terris .
 Panditur *ille* atram faciem caligine condens
 Sublustri , refugitque oculos , fallitque tuentem ,
 Integram Polis lucem quippe haurit aperto
 Fluctu aviolum radiorum , et longos imbibit ignes ;

Verum *his*, quæ, maculis variata nitentibus, auro
 Cærule discernunt, celso sese insula dorso
 Plurima protudit, prætentaque littora scenis;
 Liberior datur his quoniam natura, minùsque
 Lumen depascunt liquidum: sed tela diei
 Detorquent, retroque docent se vertere flammæ.

Hinc longos videas tractus, terrasque jacentes
 Ordine candenti, et duros se attollere montes;
 Montes queis Rhodope assurgat, quibus Ossa nivali
 Vertice: tum scopulis infrà pendentibus antra
 Nigrescunt clivorum umbrà, nemorumque tenebris.
 Non rores illi, aut desunt sua nubili mundo;
 Non frigus gelidum, atque herbis gratissimus imber:
 His quoque nota ardet picto Thaumantias arcu,
 Os roseum Auroræ, propriique crepuscula cæli.

Et dubitas tantum certis cultoribus orbem
 Destitui? exercent agros, sua mænia condunt.
 Hi quoque, vel Martem invadunt, curantque triumphos
 Victores: sunt hic etiam sua præmia laudi;
 His metus, atque amor, et mentem mortalia tangunt.
 Quin, uti nos oculis jam nunc juvat ire per arva,
 Lucentesque plagas Lunæ, pontumque profundum:
 Idem illos etiam ardor agit, cum se aureus effert
 Sub sudum globus, et Terrarum ingentior orbis;
 Scilicet omne æquor tum lustrant, scilicet omnem
 Tellurem, gentesque polo sub utroque jacentes:

Et quidem æstivi indefessus ad ætheris ignes
 Pervigilat , noctem exercens , cœlumque fatigat.
 Jam Galli apparent , jam se Germania latè
 Tollit , et albescens pater Apenninus ad auras ;
 Jam tandem in Borean , en ! parvulus Anglia novas
 (Quanquam aliis longe fulgentior) extulit oras :
 Formosum extemplo lumen , maculumque nitentem
 Invisunt crebri Proceres , serumque tuendo
 Hærent , certatimque suo cognomine signant :
 Forsitan et Lunæ longinquus in Orbe Tyrannus
 Se dominum vocat , et nostrâ se jactat in aulâ.

Terras possim alias priori Sole calentes
 Narrare ; atque alias , jubaris queis parcior usus ,
 Lunarum chorus , et tenuis penuria Phæbi :
 Ni , meditans eadem hæc audaci evolvere cantu ,
 Jam pulset citharam , Soror , et præludia tentet.

Non tamen has proprias laudes , nec facta silebo
 Jampridem in fatis , patriæque oracula famæ.
 Tempus erit , sursum totos contendere cætus
 Quo cernes longo excursu , primosque colonos
 Migrare in Lunam , et notos mutare Penates :
 Dum stupet obtutu tacito ortus incola , longèque
 Insolitas explorat aves , classemque volentem.
 Ut quondam ignotum marmor , camposque natantes
 Tranavit Zephyris , visens nova regna , Columbus ;
 Litora mirantur circum , mirantur et undæ

Inclusas acies ferro , turmasque bifformes ,
 Monstraque fœta armis , et non imitabile fulmen.
 Fœdera non ictu , et gemini commercia mundi ,
 Agminaque assueto glomerata sub æthere cerno.
 Anglia , quæ pelagi jam dudum torquet habenas ,
 Exercetque frequens ventos , atque imperat undæ :
 Aeris attollet fascēs , veteresque triumphos
 Hùc etiam feret , et victis dominabitur auris.

 XXXVI.

Pinus Ad cælum tendere.

Authore ANTONIO FAYO.

Aspice montigenas , Juræ miracula , Pinus ,
 Spectantes , fructu , caudice , fronde , polum.
 Et licèt ex ipsa ducant primordia terra ,
 Non vnquam terram vertice respiciunt.
 O si , quod , pulchra miramur in arbore , cunctis
 Esset propositum nocte diéque sequi !
 Vota procul terris fierent , et pectus anhelum
 Tenderet ad summi regna beata Dei.

XXXVII.

Musis Diversa Placent Studia.

Authore J. JACOMOTO.

Non semper tumidis Camæna buccis
 Instat terribiles tubas : nec acris
 Gradiui truculenta bella semper ,
 Magnorúmve canit ducum triumphos :
 Aut scenam Tragico premit cothurno :
 Leues induit illa sæpe soccos ,
 Et risu Satyræ solutioris
 Castigat vitium , nigroque gaudet
 Corruptos sale perfricare mores.
 Interdum tenues terens labello
 Agresti calamos , sonat benignas
 Ruris delicias beatioris.
 Atque umbras nemorum , et loquacis undæ
 Murmur somniferum , nitensque cinctam
 Spicea Cererem caput corona :
 Et natum Semeles manu prementem
 Racemos tenera , vberesque fructus
 Pomonam patulo sinu explicantem :
 Faunosque , et Dryadas , vagumque Pana ,
 Figentem et iaculis feras Dianam :
 Et Chlorim Zephyris suos reuersis
 Pingentem vario colore flores :

Balantumque simul greges per agros,
 Et simum cityso pecus capellas
 Pascentem Corydona, Tytirimque.
 Hæc si quis studia improbare censor
 Tam diversa velit nimis seuerus,
 Illum negligit, et pulat malignum. (1)

 XXXVIII.

In laudem RIPARUM BENACI.

Authore TITO STROZIO.

ædriferi colles, et Amæni collibus horti,
 Lucida Benaci qua fluit unda lacus,
 Unde ortum accipiens placido felicia cursu
 Mæoniæ gentis Mintius arua secat.
 Vos saluete simul Nymphæ, saluete deique,
 Si quos aut nemus hoc, aut sacra lympha tenet.
 Quàm iuuat has ripas spectare, habitumque locorum?
 Lenis ubi tenui sibilat aura sono?
 Tanta ubi uis auium cantu quæ mulceat aureis?
 Et quæ sit lautas inter habenda dapes?
 Quis non auri fero depastos gurgite pisces
 Laudarit, quos hic unicus amnis alit?

(1) *Musæ Neocomenses*, p. 169.

Delitiæ , quæ non capiant cæli , solique ?

Quis putet his quicquam gratius esse locis ?

Contendisse hominum labor , et natura uidetur ,

Vter plus ditet , nobilitetue situm ,

Non animos tantum Regio , non lumina pascit

Ægra , sed ut medica corpora sanat ope

Hoc simul indigenæ experti , externique fatentur ,

Hoc refero certa testis et ipse fide.

Néue sit ignotum Quis tot pulcherrima laudet,

Si per eum tribui laus tamen ulla potest ,

Post decimum Titus rediens huc Strozius annum ,

Hæc uobis grata carmina mente dicat.

XXXIX.

In Amorem Furem.

Authore HERCULE STROZIO.

Dum Veneris Puer alueolos furature Hymetti ,

Furanti digitum cuspide fixit Apis.

Indoluit grauitè , pueriliaque ora rigauit

Fletibus , et matri spicula questus , ait.

Vnde hæ tantillis iures animantibus ? unde

Exili possunt lædere aculeolo ?

Cui Dea subridens , inquit , non tu quoque , Nate ,

Corpore non magno uulnera magna facis ?

XL.

DE AMORIS DOMINATV. *Ex volumine secundo Poë-*
matum.

Authore *Joanni Joviano* PONTANO.

Et sitim sedat liquor, et relaxant
Corda languentum latices Thyonei.
Otium fessos leuat. Ast amantum
Pectora carmen.

Tu Deos seda ó Eratò dolores.
Fas sit et tecum residere, fas sit
Carmen audire insolitum, et te ab alta
Rupe canentem.

Imperat cælo pater ipse diuûm.
Imperant dij, semideique terris.
Imperat ponto Ennosigæus. Imis
Orcus Auernis.

At polo, et terris, erebo, marique,
Imperatque et Dis Amor. Huius orbis
Paret edicto, superique, et omnis
Grex animantum.

Hoc sine et cæli status, et deorum
Pax ruet, terra hoc sine, pontus, aër,
Et laborabunt odio, et suapte
Mole dehiscant.

Vrbium custos amor, omniumque
Gentium rector, placidæque pacis
Author, et leges moderatur, æquo et
Jure gubernat.

Huius et iussu seges, huius arbor
Induit florem. Statuunt uolucres
Nidum, et in prolem pecudes, feræque
Sponte feruntur:

Hoc duce et uirgo sequitur maritum,
Et domo, et matris gremio relictis,
Hac ope humanum genus, et propago
Cuncta perennat.

Huius ô huius mihi nute numen,
Mite sit regnum dea, sit benignum
Sidus, ô assis facilis precanti
Dux bone amantum!

FINIS.

CATALOGUS LIBRORUM

IN QUIBUS HÆC POEMATA INVENIUNTUR.



1. *Dominici Baudii Poematvm Nova Editio, Quorum seriem pagina sequens indicabit. Lvgdvyi Batavorum, Ex officina Thomæ Basson. M. DCVII. 8.º*

2. *Casparis Barlæi Antverpiani Poematum Pars II. Elegiarvm et Miscellaneorum Carminvm. Amstelodami Apud Joannem Blaev. M. DCLV. 12.º*

3. *Maphæi S. R. E. Card. Barberini Nunc Vrbanî Papæ VIII. Poemata. Romæ, ex Typographia Reu Cam. Apost. 1640. 12.º*

4. *Joannis Jacomoti Barrensis Lyrica. Genevæ, Apud Jacobvm Stoer. M. DXCI. 8.º*

5. *Epicedia, Quæ clarissimi aliquot viri, et D. Theodoro Bezae charissimi: Sicut et illis ipse Beza viuus charissimus, et mortuus est honoratissimus; scripserunt in ipsius obitum. Genevæ, Apud Jacobvm Chovet. M. DC. VI. 4.º*

6. *Theodori Tronchini Oratio Fvnebris Venerandi senis Simionis Govlartii Sylvanectini , in Ecclesia Genovensi Pastoris fidelissimi Mem. S. Accesserunt Epicedia variorum , Genevæ, apud Petrum Aubertum, Reipublicæ et Academiæ Typographum. M. DC. XXVIII. 4.º*

7. *Pontani Opera.*

Vrania , siue de stellis , libri quinque.
Meteorum, liber unus.
De Hortis hesperidum , libri duo.
Lepidina siue pasterales pompæ septem.

Item Meliseus. Mæon Acon.

Hendeca syllaborum , libri duo.
Tumulorum , liber unus.
Neniæ , duodecim.
Epigrammata , duodecim.

Quæ vero in toto opere habeantur in Indice, qui in calce est, licet videre.

ALDUS.

COLOPHON.

Venetiis in ædibus Aldi, et Andreæ Asvlani Soci. M. D. XIII. 8.º

8. *Joannis Joviani Pontani Amorum libri II.*

De tamore coniugali III.

Tumulorum II, qui in superiore aliorum poëmaton editione desyderabantur.

Lyrici I.

Eridanorum II.

Eclogæ duæ Coryle, et Quinquennius superioribus quatuor additæ.

Calpurnij Siculi Eclogæ VII.

Aurelij Nemesiani Eclogæ IV.

Explicatio locorum omnium abstrusorum Pontani authore Petro Summontio uiro doctissimo.

Index Rerum, quæ in his Pontani lusibus continentur.

ALDUS.

COLOPHON: *Venetiis in ædibus Aldi, et Andreæ Soceri, Mense Februario. M. D. XVIII. 8.º*

9. *Julii Cæsaris Scaligeri Novorum Epigrammatum liber vnicus. Eiusdem Hymni duo, Joanni Baptiste clamanti in deserto, Rocho et Sebastiano. Eiusdem Duia Ludouica Sabaudia. Parisiis Apud Michaelem Vascosanum, ad diuum Jacobum, sub signo Fontis. M. DXXXIII. 8.º*

10. *Ægidii Menagii Miscellanea. Parisiis, apud Avgustinum Covrbe, in Palatio Regio, sub signo Palmæ. M. DC. LII. 4.º*

11. *Viri Illvstris Jac Aug. Thvani Regii in Sanctiore Consistorio Consiliarii, et in svpremo Regni, Senatv Præsidis Amplissimi, Commentariorvm de Vita Sva, Libri sex. M. DC. XXI. Fol. (1)*

12. *Reliqua Librorum Friderici II. Imperatoris, De arte Venandi cum Avibus, cum Manfredi Regis additionibus, ex membranis vetustis nunc primùm edita. Albertus Magnus de Falconibus, Asturibus, et Accipitribus. Augustæ Vindellicorum, ad insigne Pinus. Apud Joannem Prætorium, Anno M. DXCVI. 8.º*

13. *Emblemata et Epigrammata Miscellanea selecta ex Stromatis Peripatecis Antonii Fayi. Genevæ, Apud Petrum et Jacobum Chouet. M. DC. X. 8.º*

14. *Joannis Jacomoti Barrensis. Musæ Neocomenses. Excudebat Mathæus Berjon. (Genevæ) M. D. XCVII. 8.º*

15. *Strozii Poetæ Pater et Filius. ALDVS. COLOPHON: Venetiis in œdibus Aldi et Andræ Asvlani Soceri. M. D. XIII. 8.º*

LIST OF PERSONS ,
TO WHOM THE POEMS ARE ADDRESSED.



1. Beza , Theodore , p. 25, 39, 40, 58.
2. Burgh , Thomas Lord , 8.
3. Carleton , Sir Dudley , 61.
4. Carnarvon , Charles Dormer Earl of , 66.
5. Casaubon , Isaac , 28.
6. Cecil , Sir Robert , 30.
7. Chiabrera , Gab. , 16.
8. Elizabeth , Queen of England , 33, 54.
9. Exeter , John Cecil Earl of , 63.
10. Gaza , Theodore , 49.
11. Gravina , Peter , 46.
12. Goulard , Simon , 40, 42.
13. Nogarola , 52.
14. Pembroke , William Herbert Earl of , 10.
15. Rabalais , J. , 60.
16. Saracen , John Francis , 50.
17. Scaliger , Benedict , 49.
18. Scot , John of Tarvis , 22.

19. Selden, John, 23.
 20. Sidney, Sir Philip, 1.
 21. Sidney, Sir Robert, 4.
 22. Strozzi, J. B., 14.
 23. Summonte, Peter, 47.
 24. Thou de, J. A., 59.
 25. Whitgift, Archbishop of Canterbury, 18.
-

INDEX AUTHORUM.



1. Barberinus 13.
2. Barlæus. 9, 22, 61.
3. Baudius 1, 17, 30, 58.
4. Dalielus 66.
5. Fayus 39.
6. Grayus 71.
7. Incertus Author 67.
8. Jacomotus 25, 33. 76.
9. Menagius 50.
10. Olyphantus 40.
11. Pictetus 42.
12. Pontanus 46, 79.
13. Scaliger 49.
14. T. Strozius 77.
15. H. Strozius 78.
16. J. A. Thuanus 58.
17. Tronchinus 40.



TABULA POEMATUM.



I. BAUDIUS.

1. *In obitum fortissimi Philippi Sidnei. p. 1.*
2. *Ad Philippum Sidneium, splendissimum Equitem ex illustri Warwicensium familia, p. 2.*
3. *Ad Robertum Sidneium equitem generosum et illustrem lessus in mortem Philippi Sidnei fratris ejus, viri omne laude majoris, p. 4.*
4. *Ad generosum Thomam Baronem de Burgh, etc. Brielæ urbis et arcis Gubernatorem, p. 8.*

II. BARLÆUS.

5. *D. Wilhelmo Herberto Comiti Penbrociæ, supremo Aulæ Regiæ Præfecto, p. 10.*
6. *In obitum Clarissimi viri Johannis Isacij Pontani, p. 11.*

III. BARBERINUS.

7. *Ad Joh. Baptistam Strozzam : ejus laudat animum æternitatis inhiantem bonis, et humana fastidientem, p. 14.*

8. *Ad Gabrielem Chiabreram, Carmina Virtuti parere immortalitatem, p. 16.*

IV. BAUDIUS.

9. *Ad Johannem Whitgiftum, Archiepiscopum Cantuariensem, totius Angliæ Primatem, et Metropolitanum, p. 18.*

V. BARLÆUS.

10. *Ad Illustrem Virum Johannem Scotum, Tarsasium, Cancellariæ Scotiæ directorem, cum Poëtas Scotos edi curaret, p. 22.*

11. *In mare clausum Cl. viri Joannis Seldeni, p. 23.*

12. *Aliud, p. 24.*

VI. JACOMOTUS.

13. *Ad Clariss Virum D. Th. Bezam Carmen, p. 25.*

14. *In Policænum nunc primum in lucem editum Græce ab Isaaco Casabonio Græcarum literarum in Academia Genevensi, Carmen Sapph., p. 28.*

VII. BAUDIUS.

15. *Illustri viro Roberto Cæcilio primario regni Angliæ Secretario, p. 30.*

VIII. JACOMOTUS.

16. *Triumphale Carmen, Ad Serenissimam Angliæ Reginam, p. 33.*

IX. FAYUS.

17. *D. Theodoro Bezæ é terris migranti ad cælos*,
p. 39.

X. OLYPHANTUS.

18. *Theodoro Bezæ*, p. 40.

XI. TRONCHINUS.

19. *In obitum Simonis Goulartij*, MD.CXXVIII, p. 40.

XII. PICTETUS.

20. *In Exeqvias Simonis Gowlartii*, p. 42.

XIII. PONTANUS.

21. *Ad Petrum Gravinam*, p. 46.
22. *Ad Petrum Summontium*, p. 47.
23. *Tumulus Theodori Gazæ*, p. 49.

XIV. SCALIGER.

24. *Epitaphium Benedicti patris inuicti, atque imperiti*, p. 49.
25. *Affinis suæ Nogarolæ epitaphium hoc condidit, Græca, Latina et Thusca lingua, poetriæ mirabilis*, p. 50.

XV. MENAGIUS.

25. * *Ad Joannem Franciscum Saracenum*, p. 50.

XVI. BAUDIUS.

26. *Ad Serenissimam Elizabetham Angliæ Reginam,*
p. 54.

27. *In Psalmos Theodori Bezæ Theologorum Eximii,* p. 58.

XVII. THUANUS.

28. *Versiculi. Ad Finem Vitæ suæ a seipso scriptæ,*
p. 58.

29. *Alii Versiculi qui sequuntur, ex eadem Vita,*
p. 59.

30. *A Calignono inuitatus hoc carmen extempora-
neum fecit.*

Ipse Rabalæsus γεωτροποιὸς loquitur, p. 60.

XVIII. BARLÆUS.

31. *Ad Illustrissimum Dominum, D. Dudlæum
Carleton, Magnæ Britannicæ Regis apud Federatos
Ordines Legatum, postquam regium mihi munus ex-
hibuisset,* p. 61.

XIX. DALIELUS.

32. *Ad Illustrissimum Dominum, Joannem Cecilium
Comitem Exoniensem, Baronem a Bvrglhey etc.,* p. 65.

33. *Ad Illustrissimum Dominum Carolum Dormervm,
Comitem Caenarvonensem, Vicecomitem ab Ascot etc.,*
p. 66.

XX. INCERTUS AUTHOR.

34. *Fabula de initio Rei Accipitrariæ , eleganter excogitata , ex secundo libro Hierascosophioy , incerti auctoris , p. 67.*

XXI. THOMAS GRAYUS.

35. *Luna est habitabilis , p. 71.*

XXII. FAYUS.

36. *Pinus Ad Cælum tendere , p. 75.*

XXIII. JACOMOTUS.

37. *Mysis Diversa Placent Studia , p. 76.*

XXIV. T. STROZIUS.

38. *In laudem Riparum Benaci , p. 77.*

XXV. H. STROZIUS.

39. *In Amorem Furem , p. 78.*

XXIV. PONTANUS.

40. *De Amoris Dominatu.*

BIOGRAPHICAL NOTICES.



I. DOMINIQUE BAUDIUS, born at Lisle in Flanders, 8 April 1561, was Professor of History in the Academy of Leyden. He commenced his studies at Aix-la-Chapelle; whither his father had retired with his family from the persecutions of Duke d'Alva; and where he died in 1576. At the end of eight months DOMINIQUE removed to Ghent, to which his mother had retired; and thence to Geneva. In 1583, he returned to Ghent; and pursued his studies in theology; and thence to Leyden, where he took the degree of Doctor of Laws, 1585. A few days afterwards, he accompanied the Ambassadors of the States-General to England; and was introduced to many illustrious persons, especially Sir Philip Sidney. He then became an advocate at the Hague 1587 but was soon disgusted with the Bar.* He then went to France, where he re-

* Bayle says: « *Il était né poëte, la chose du monde qui donne le moins de goût pour les épines et pour les chicanes du barreau.* »

mained ten years. In 1602, he again accompanied to England Christopher de Harlai, Ambassador of K. Hen. iv. At length he fixed himself at Leyden; and was named Professor of Eloquence there, the same year. He died at Leyden 22 Aug. 1613; aged 54.

« It cannot be doubted » says Bayle, « that he was a great Latin Poet. » But it must be confessed, that this praise is a little extravagant.

His Letters were published, in great numbers, after his death.

« Le vin et les femmes » it is observed by Bayle, « ont été les doux écueils sur lesquels sa réputation a fait naufrage. »

But Bayle deems this author of such importance for genius and erudition, as to allot to him a long article.

II. GASPAR BARLÆUS has also received the honour of a Memoir in *Bayle's* Dictionary. He was born at Antwerp 1584; and was Professor of Philosophy at Amsterdam: to which he was appointed in 1631; and which he held till his death in 1648, at the age of 54. He was esteemed one of the best Latin poets of the xvii.th Century. This biographer and critic says that his poetry is vigorous, copious, and elevated. *

* See his Eloge in *Borrichius, Dissert. de Poetis*, p. 140.

In his latter days Barlæus fell into melancholy, and mental derangement.

III. CARDINAL MAFFEO BARBERINI. — POPE URBAN VIII, was of an ancient family at Florence; and elected POPE Aug. 6 1623. He died 29 July 1644, after having held the Pontificate twenty-one years, wanting eight days. His passion for the Belles-Lettres never deserted him; and he was a great patron of Literature and the Arts. His disposition was amiable, and gentle. The *Barberini* Palace at Rome, still held by the female descendants of his nephew, but who bear the name, (though in the male line they are *Colonnas*) is known to all Europe.

IV. JOHN JACOMOT, son of *Claude*, was born at Bar-le-Duc; admitted a Citizen of Geneva 1569; took on himself the exercise of the Ministry there 1576; and was appointed Rector of the Academy, 1586. He was employed by the Council of Geneva to solicit the intercession of the Cantons of Zurich and Berne with the Duke of Savoy, to obtain liberty of conscience for the Bailiages of Ternier, Gailard, and Thonon. He died at Geneva, either in 1609, or in 1615. *

V. ANTONIUS FAYUS (*Antoine La Faye*), was Regent of the sixth Class in the College of Geneva, in

* See *Senebier*, II. 23.

1561; afterwards Principal in 1570; Professor of Philosophy in 1577; Rector of the Academy, and Pastor in 1580; Professor of Theology in 1584. He was admitted a Burgess, 1568.

He gained the attachment and esteem of Calvin and Beza, by his merit. His knowlege was not only universal, but profound. In 1574, he was admitted Doctor of Physic. In 1587 the Company of Pastors charged him, in conjunction with Perrot, Goulart, and Rotan, with the task of composing the Preface to the Version of the Bible. Beza revised it in Jan. 1588; and it was approved.

He died of the pestilence in 1615.

His *Life of Beza*, 1606, is the foundation of all the Lives of that celebrated man.

For LA FAYÉ's other works, see *Senebier*, II. 53, 54.

VI. THEODORE TRONCHIN, son of *Remy*, was born 1582, and presented at the baptismal font by Theodore Beza. He first studied at Geneva; and in 1600 was sent to Foreign Universities; returned 1602; departed again 1604; and sustained public theses at Leyden, 1605, which did him great honour. He acquired the esteem of the great men in France, Holland, and England, with whom he became acquainted. Geneva profited by the vast knowlege, which he acquired in his Travels. In 1606, he was made Pas-

tor; and Professor of the Oriental languages; and in 1615 obtained the Chair of Theology. In 1610 he was joined with John Deodati to assist at the Synod of Dordrecht. In 1632, he was sent to the Duke de Rohan, who commanded the French Army in the Grisons, and gaining the esteem of that Prince, was long retained in his service; and consulted by him on all matters of difficulty.

He died generally regretted in 1658.

VII. ANDREW PICTET was father of the celebrated *Benedict Pictet*, who was born at Geneva, 30 May 1655, and died 1724; a profound Theologian, and voluminous author. *

VIII. GIOVIANO PONTANO a philosopher, poet, orator, and historian of the XVth century, was born at Cerreto in the kingdom of Naples in Dec. 1426, and died at Naples, in Aug. 1504, æt 77. See *Res Literariæ* 1. 208. *ib.* vol. III. *etc.* His Latin poetry is truly exquisite.

IX. JULIUS CÆSAR SCALIGER was born 1484, at Ripa, near the Lake of Garda, in the territory of Verona; and died 1558. His fame is known to all persons of literature.

* I have an Epithalamium «*Pour le mariage de Mons Gabriel Sarasin et de Mademoiselle Murie Madelaine Pictet. célébré à Genève le 26 de Février 1669, in-4.º*»

X. GILES MENAGE is a name familiar in French literature. He was born at Angers, 1613; and died at Paris, 1692, æt 79.

XI. JACOBUS AUGUSTUS THUANUS (DE THOU) was born at Paris, 1553; and died there 8 May, 1617, æt 65. He is too well known as an Historian to require a detailed account.

XI. TITUS STROZZI belonged to the *Ferrara* Branch of the Family. He died 1505, aged 80.

XII. HERCULES STROZZI, his son, was born at Ferrara Sept. 2, 1471, and was murdered June 6, 1508, æt, 37. See *Valerianus de Infelicitate Literatorum*, etc.

XIII. Of THOMAS GRAY, the celebrated English poet, whose beautiful Latin Alcaic Ode, written in the Album of the *Grande Chartreux*, beginning

« *O tu severi Relligio loci,* »

is familiar to every scholar; and who is one of the most perfect writers of Latin poetry since the time of the Ancients, it would occupy room uselessly to say any thing here. He was born 1716, and died 1771.

POSTSCRIPT BY THE ENGLISH EDITOR.



He, who is not at the mercy of public support, who asks no public attention, is not bound to give a public account of his occupations, or his labours. This little Collection of Poetry is not designed for any one who feels no interest in it. To a few, it may afford some stir of ideas by its recollections, and the novelty of its combinations. To travel for ever in one track; to be stupified by the sameness of modern literature, must be a voluntary monotony, and limitation of intellect. I know not that we can learn, or suggest, any thing new of a name so renowned as that of SIR PHILIP SYDNEY. These Latin poems afford additional proof how widely his reputation was extended over Europe.

If may be doubted, whether the glorious career of Sydney was happy to himself. He seems to have been of too anxious a nature; and his ambition appears to have been too unqualified. With all the admiration which I feel for him, I am persuaded that his genius was not of the first class. He followed rather than in-

vented; and therefore did not strike out a character for himself; but wasted himself in pursuing, almost at once, the innumerable lights started by others. There is a certain degree of concentration of force, which is necessary to the first productions of genius.

But how deeply gratifying is the reflection, which is thrown on beauty of moral temperament and loveliness of soul, when we observe the memory of Sydney survive in perennial verdure and fragrance, while those, who filled the world with violence, who blazed in fury to the corners of the earth, are almost forgotten before the turf deadens on their graves!

Of the rest of the characters here celebrated I have little to say, unless I could have space to enter into long details.

Of the *English*, Queen Elizabeth is the most conspicuous name. Her place in History is already sufficiently fixed.

Of SECRETARY CECIL, afterwards Earl of Salisbury, and Prime Minister of King James I. much good, and much evil has been pronounced. He was at best a doubtful character.

THOMAS LORD BROUGH was a hardy soldier; brave and poor; in whose sons the title became extinct; or has at least been since dormant.

Of WILLIAM HERBERT, EARL OF PEMBROKE, Lord Clarendon has immortalized the character. The present Editor reprinted in 1816 the extra-rare volume of Poems of this nobleman, of which new Edition not more than fifty copies were saved from the fire at Bensley's printing office.

Of SIR DUDLEY CARLETON the late Lord Hardwicke published the *State-Letters*.

Of the *Foreign Literati* here commemorated, almost all, (such as Beza etc.) are of sufficient celebrity to be registered in all Collections of General Biography.

Geneva 5 Feb. 1822.

S. E. BRYDGES.













